



14

Genl. 5. num. 7.

1778, 10

19

DE
VI FOEDERVM INTER GENTES,
SPECIATIM

DE
OBLIGATIONE SVCCessorIS
EX FOEDERE ANTECESSORIS
EX NATVRA REI ET VSV MORATIORVM
POPVLORVM PETITA.

P. 167.

DISSERTATIO INAVGVRALIS

QVAM

SVB AVSPICIIS REGIIS

AVCTORITATE

INCLYTI IVRE CONSVLTORVM ORDINIS

PRO

CAPESCENDIS SVMMIS IN IVRE HONORIBVS

PVBELICE H. L. Q. C. DEFENDET.

PETRVS IOSEPHVS NEYRON

BEROLINENSIS

A D. XIX. IVN. ANNO c^{lo} LXXVIII.

GOTTINGAE,

Litteris IO. CHRISTIAN. DIETERICH
ACAD. TYPOGR.



*P*rudens futuri temporis exitum
Calliginosa nocte premit Deus;
- - - Quod adest memento
Componere aequus.

HORAT. lib. 3. C. 29. v. 29. seq.

MONSIEUR

*Puisse, VOTRE EXCELLENCE, agréer la joye que
je ressens de pouvoir LUI rendre, par cette humble dedicace, un
temoignage public de la plus parfaite vénération, et du plus profond
respect, avec lesquels j'ai l'honneur d'être*

MONSIEUR

DE

VOTRE EXCELLENCE

Gottingue ce 18 Juin

1778.

le très humble et très obéissant Serviteur

NEYRON.



MONSIEUR

Par votre Excellence, Monsieur le Ministre,
j'ai l'honneur de vous adresser ci-joint
le rapport que vous m'avez demandé de vous
présenter sur l'état des affaires de ce
département.

MONSIEUR

TOURNAI

Le 15 Mars 1788



A

SON EXCELLENCE

MONSIEUR

LE COMTE DE GOERTZ

MINISTRE ACTUEL ET GRAND - MAITRE DE
GARDEROBE DE SA MAJESTE LE ROI
DE PRUSSE

A

BERLIN.

SON EXCELLENCE
M. COMTE DE COCART



SECTIO I.

DE

VI FOEDERVM INTER GENTES.

CAP. I.

De sensu et diuisione foederum.

§. I.

Introitus.

Ea quae a magnae famae scriptoribus in scientiis vt certa determinantur, haud tamen ideo vbiuis temere arripienda, et instar axiomatis in probatione admittenda esse, iam saepius dictum. Prudentis huius moniti veritatem inprimis in eo labore expertus sum, cui iam per plures annos incubui, dum, collectiones foederum pactorumque publicorum inter gentes euoluendo, inque fontes scientiae ipsos penetrando, ex iis veritates haurire, historias penitus noscere, gentiumque iura ac conventionum indolem accuratius ediscere omni cura studui. Continet specimen academicum obseruata ista et argumenta, quibus veram conventionum indolem et vim foederum inter pacificentes ac speciatim eorum successores illustrare conabor. In his saepe a doctorum Virorum sententia me recedere, quin adeo contraria aliquando statuere fateor, an nimium audacter? ex aequo iudicent alii. Quod ad tractationem in duas sectiones diuisam attinet, sequenti modo argumenta distribuere placuit: primo communem ac meam de diuersitate foederum, diuisionem exponam, secundo et tertio de natura obligationum in genere et de requisitis conventionum, quarto quinto et sexto de vi ac efficacia obligationum, quae ex natura cuiusque

A

foe-

foederis manant, loquar; tandem in secunda sectione de vi obligationum
successoris ex foedere antecessoris verba faciam.

§. II.

Quid sit foedus in genere?

Quid sit foedus? ne quis ambiguus haereat, quaedam de diverso
foederum sensu praemitto. Omissis his pactis rem publicam constituentibus
quae etiam foedera nuncupantur *a)*, antiqui et praesertim Romani sub
foederis nomine, omnia publica cum exteris pacta comprehendebant. Quod
ex legati Regis Antiochi, Menippi ad Romanos missi, oratione patet *b)* qui
tria foederum genera admittebat "vnum, quum bello victis dicerentur le-
ges- alterum, quum pares bello aequo foedere in pacem et amicitiam iun-
gerentur- tertium, quum qui hostes nunquam fuerint ad amicitiam sociali
foedere inter se iungendam coeant". Sic auctores qui de hac materia
commentati sunt, ex Virgilio *c)* aliisque auctoribus classicis id demon-
strarunt.

§. III.

Quid foedus in specie?

Recentiori tamen aeuo, hoc nomen strictiori sensu accipitur, sub-
que eo tertium Menippi genus solum intelligitur, societas nempe publica,
inter Gentes ac Principes ad finem communem, alterutrius utilitatis ergo,
obtinendum ista. Cui foederi nomen vniouis, societatis, seu ligae tri-
buitur, quod a Germanis *Bündnißs* et a Gallis *alliance* appellatur. Quam
distinctionem pro diuersa conuentionum indole ac natura aptiorem
duco. Ita nunc inter Gentes conuenta; in quibus non praecipuus de praestatio-
nibus mutuis futuris scopus inest, Instrumenta *d)* tractatus *e)* concordata *f)*
ac transactiones *g)* aliquando vocari solent. Ita vt vox tractatus a Gallis
(*Traité*)

a) VARRONIS FRAGMENTVM, de vita populi romani lib. 2. "Foedus est publica popu-
lorum et principum inter ipsos conuentio."

b) LIVIUS lib. 34. cap. 57.

c) VIRGILIUS GEORG: lib. I. v. 60. Aeneid: lib. I. v. 65.

verbi gratia *d)* Instrumentum Pacis Osnabr. Carouitzii.

e) Tractatus de restitutione Elbingensi: pacis etc.

f) Concordatum super suprematu de Bar, circa Baroniam Valengin.

g) Transactio inter principes Nassouiae, item de regno Maioricarum etc.

(*Traité*) dicta, plus quam foederis nunc contineat *h*). Sed quidquid sit, vocem foederis, in diuisione conuentionum publicarum latiori sensu Grotius admittit *i*), et cum plerique Doctores hunc secuti fuerint, eum quoque in partitione pactorum publicarum communiter recepta, nunc quidem sequar.

§. IV.

Foederum diuisio ex Grotio.

Diuiduntur foedera, seu conuentiones quaeuis publicae, primo in ea, quae idem quod iuris naturalis iam est, et ea quae ei aliquid alias imperfecti iuris adiiciunt; Vtraque rursus aequalia sunt vel inaequalia; Inaequalia coeuntur vel cum imminutione imperii vel sine eius imminutione; Porro ad id attendi debet, an sint personalia vel realia, fauorabilia an odiosa, et tandem ex tali distinctione, obligationes quae exinde enascuntur, erui debent *k*).

§. V.

Ratio primae diuisionis.

Sequenti ratione fundamentum primae distinctionis comprobatur GROTIUS, dicens: quamuis natura nobis, praecipiat, neminem laedere: tamen hoc praeceptum malis moribus sic oblitteratum est, vt cultiores Gentes, ad naturam reuocandam, iura iam debita, arctioribus pactorum vinculis suffulcire studuerint: Aliae vero obligationes a natura non debitaе, solummodo ex consensu contrahentium, demum interueniente pacto, vim iuris acquirant.

§. VI.

Ratio secundae distinctionis.

Quod ad aequalia vel inaequalia, hanc partitionem ex idea quam sibi finxit de iure naturae, desumpsit idem ciuilius iuris peritissimus GROTIUS, affirmans, quod in contractibus natura aequalitatem imperet; hanc vero

A 2

prae-

h) Nam promiscue passim tractatus pacis, cessionis sicut et foederis et commerciorum referuntur.

i) GROTIUS lib. II. Cap. 15. §. 3. "foedus est quod fit iussu summae potestatis.

k) GROTIUS lib. 2. C. 15, et IOH. GVIL. A GOEBEL Diss. de foederibus Cap. 2. §. 2. 17.

praecipue in valore ac obiecti aestimatione consistere contendit. Nam, uti refert, qui dant aut promittunt credendi sunt aut dare aequale ei quod accepturi sunt, utque eius aequalitatis ratione debitum *l)*. Et cum de mensura eius quod quaeque res valeat quaestio sit, ipse, quamvis agnoscat, hominum voluntatem rerum dominam esse, tamen cum ICTO PAVLO *m)* concludit, quod pretia rerum non ex affectu rei, utilitate singulorum sed communiter fungantur, i. e. quanti omnibus valent, aestimanda sint. Hinc divisionem foederum aequalium vel inaequalium, posteriorum vero cum, seu sine imperii deminutione determinavit.

§. VII.

Ratio tertiae et quartae subpartitionis.

Tandem respectu personalium ac realium foederum vnicè ad personam contrahentis respiciendum esse censet. Si cum libero populo actum est, semper reale atque perpetuum in dubio dici debet foedus; si cum principe, verba foederis inspicienda; cum adiectum sit, ut *in perpetuum* aut *in bonum regni*, aut *pro ipso et successoribus*, coeatur, reale censendum erit: Si non talia sint adiecta, videndum putat, an fauorabilia sint contenta, tum quoque reale; sin vero odiosa tum personale asserendum erit foedus. Ex tali distinctione sequitur, respublicas, (ubi populus qua corpus morale nunquam moritur), ad omnia foedera, in quantum tempus inita sint; regna vero, vel ex verbis adiectis vel ex fauorabilibus modo conuentis teneri. Quae si ita sese haberent, vae Rebuspublicis foedere, quod ex vicissitudine rerum odiosum fieri potest, iunctis!

§. VIII.

Alia divisio.

Ast, (si fas est, in divisione GROTIUM praecentem imitari), accuratius instituenda partitio, eaque e fundamentis deducenda erit, a natura rei et subiecti petitis, atque ab obiecto, (sive in re, sive in iure, sive in facto consistat), circa quod ineuntur foedera. Primo panguntur foedera quaeuis vel circa obiecta praeterita seu praesentia, vel circa futura. Illa sine

l) IDEM l. c. Cap. 12. §. 12. n. r.

m) l. 63. D. ad legem falcidiani.

sine vlla, siue cum certa conditione limitatione seu restrictione, prout partes conuenerint, coiri possunt: sed hisce immorari nolo, conditiones enim illae semper secundum ipsa conuentionum verba interpretandae sunt, et hic generalis valet regula; talem te iudico, qualem tu te declaras. Haec autem circa obiecta futura, iterum pro varia rei natura, subdiuidenda esse necessarium arbitror.

§. IX.

Foedera de praeteritis ac praesentibus obiectis.

Quoad foedera circa obiecta praeterita ac praesentia; ad praeterita referri possunt renunciaciones, determinationes finium, cessiones iurium ante hac controuerforum, transactiones de rebus dubiis, sorte, per arbitros, aut per mediatores, compositiones amicabiles etc. ad praesentia vero computanda sunt concordata, venditiones, donationes, permutaciones, cessiones, pacta de religione seu libertate conscientiae, de transitu, de conductione militum, tractatus pacis in genere, vbi saepius fere omnia haec concurrunt: sicut et alia conuenta militaria. De his obiectis tam praeteritis quam praesentibus mos et ius est, pacto rite concluso, semper vti contentum est standi, siue articuli, officia iam a natura debita, siue demum ex consensu paciscentium obligatoria contineant.

§. X.

Foedera de futuris obiectis.

Quoad foedera circa obiecta futura, quoniam haec variae sint indolis, paulo fusius sunt separanda. *Primo* sunt in foederibus promissiones ex quibus non semper colligendum est quod ad futura pertineant. Promittuntur enim multa quae obiecta praeterita ac praesentia solummodo concernunt, vti sunt omnes ratihabitiones rem semper ita vt statutum est, sese habituram, promissa de perpetua cuiusdam dignitatis seu iuris agnitione, promissa ob rem iam praestitam correlata. *Secundo* promittuntur in specie ea quae iam a natura debentur vti de non laedendo, de non adiuvando tertio bellum meditati, de protegendo seu conseruando iure quaesito contra quemcumque, vti sunt conuentiones, non (vti a plerisque dictum) fidei iussoriae sed conseruatoriae seu protectoriae *n*) vbi quis alterius fidem pac-

A 3

titiam

n) Vide tractatum meum nuper editum ESSAI SUR LES GARANTIES. Goettingae 1777.

titiam cauet, sub conditione coactionis ad requisitionem laesi, quod si aliter huic non steterit. *Tertio* dantur foedera reciproca ubi iuri naturae aliquid adiicitur et quidem vi nexus socialis ob utilitatem omnium communem conduntur, uti sunt foedera amicitiae in genere et mutuae benevolentiae. *Quarto* tandem dantur foedera mutua, quae tantum ob utilitatem utriusque paciscentium ad obtinendum certum finem communem ineuntur, quae proprie socialia audiunt, qualia sunt foedera defensiva, offensiva et commercii. His distinctionibus praemissis obligationes, quae ex foederum diversitate, a natura rei et paciscentium oriuntur determinabimus; facile tunc quid per foedus reale ac personale subintelligendum sit, patebit.

§. XI.

De ceteris foedera nuncupatis.

Praeterea foederis nomine, adhuc alia pacta appellantur, uti confoederationes perpetuae, pacta subiectionis, constitutiones principum cum populo, sicut et pactiones principum cum privatis, matrimoniorum, successionum, functionum pragmaticarum, immo ea quae a mandatariis sub spe rati panguntur, uti sponiones ac praeliminaria nondum ratificata. Sed haec cum potius ius publicum respiciant internum, vel ad ius privatum principum pertineant, vel ad praepatoria foederum remittenda sint, ad pacta publica externa immediate referri nequeunt. Hinc ista haud amplius prosequar, quam mihi hic solummodo agendum sit de foederibus, deque obligationibus quibus gentes, qua tales, mutuo cum aliis sese devinciunt.

CAP. II.

De natura obligationum in genere.

§. XII.

I. Quoad obiectum, de salute omnium obligationum fonte.

Explicationi obligationum generalia quaedam de communi fonte earum atque origine praemittere necessarium mihi videtur, et quidem I) de obiecto aliquid anteponendum est. Innata haeret nobis omnibus consensans quaedam ac perpetua voluntas, omnia utilia appetendi nociuaque fugiendi.

giendi. Instinctu ipsius naturae omnia quae a mortalibus peraguntur ex vera utilitate ponderanda sunt o). Hinc ex salute cuiusque status, in quo quisque fitus est, facti iustitia est diiudicanda. In statu naturae absoluto, ubi populus, omni lege humana erga externos solutus, liber est atque independens, ex hac salute deprompta quoque est obligatio perfecta, ne agito quae conseruationi alterius aduerfantur: seu ne facias alteri quod tibi fieri non vis. Quin et Deum nos venerari ex eadem ipsa ratione manifeste probari potest. Ex hoc etiam fonte, omnes legislatorum praecipui, optimas pro cuiusque statu leges hauserunt. Ad eundem itaque fontem in deriuandis argumentis me quoque accedere oportuit, quippe ad vnicum quasi omnium et rerum gerendarum et gestarum. Ne vero hanc vocem salutis incongrue interpretando, consilio aliqua suboriatur, ac ne quis credat iustitiae regulas normamque cum salutis principiis collidere, omnino opus erit, determinare prius salutis sensum pro diuerso populorum nexu. Hinc clare patebit, socias esse amicas iustitiam et salutem, easque pari passu quasi ambulare.

§. XIII.

Propria, in statu naturali, salus est principium iuris.

Iam semper norma agendi generis humani, sollicitè ex statu quo quis collocatus est iudicanda est. Salus in genere, sicut iustitia, est relativi quid, veraque salus cum iustitiae principiis in nulla vnquam collisione existere potest. Populus per se consideratus in statu absoluto, ac nullo cum exteris nexu iunctus, iustus dici debet quamdiu nihil contra alterius conseruationem agit; quo fit vt omnes eius obligationes in non faciendo consistant, aliasque nemo eum, iure perfecto seu, cum iure cogendi, inuitum ad aliquid agendum compellere possit. Sed haec iustitia omiſſiua ex salute et quidem propria ortum ducit. Vi aequalitatis iuris quod in alterum agnoscere teneor, huic, quod ab eo expetere possum, recusare non audeo. Ius in mei ipsius conseruationem fateor, ergo idem ius in alium admittere atque sine laesione, nil contra tentare, officii mei est. Sic a natura nullo antecedente pacto, iura connata, et ob id ipsum interesse proprium obligationes correlatae excogitari possunt. Pari ratione quaelibet gens, vagae

o) *Observations sur les traités par Amelot de La HOUSSEY p. 24. "L'Intérêt commande aux Princes encore plus absolument que les Princes commandent aux sujets."*

nomadum instar vitae, pertaesa, simul ac certum terrae districtum cultura ac industria, sibi proprium vindicauit, certisque limitibus circumscripsit, aliis eodem iure, alio loco ventibus eandem proprietatem a natura agnoscere cogitur. Hinc forte sinenses vt iniustos nemo coarguet, quod vniuersis fere Europae gentibus suum territorium clausum retineant, eos a limitibus arceant, nulloque in nexu cum iis viuere cupiant.

§. XIV.

Id maxime collisione iurium existente patet.

Maxime id, quod salus propria omnia in hoc statu dirigat, existente iurium collisione elucescit; nempe cum mei ipsius conseruatio, cum conseruatione alterius collidat, tum omni aevo agnatum fuit quod cuique sua propria sit praeferenda. Exempla cuiuslibet nota sunt, duorum hominum, quorum vterque, in periculo naufragii, arrepto vnico asserere ambos capere inepto, mortem effugere conatur, et plura alia eiusmodi, quae a doctolibus allegari solent. Sic iure, casus excogitari possunt qui, salua laesione iustas belli causas in statu naturali dant: non obstante illustri ROUSSOVIOP) qui nullam belli iusti causam inter indiuiduos sibi fingere potest, quia nullam constantem in hoc statu proprietatem esse existimat. Ita gens quoque intrinsece civili nexu iuncta, respectu exterorum in statu naturali considerari potest. Sic recte Xenophonq) cum decem millibus Graecorum per barbaros Graeciam versus tendens, cui nil supererat quam aut se obuiocasu defendere aut mori, in responso ad sinopenses inquit, "Vbi ius emendi nobis non conceditur, siue in barbaro siue in Graeco solo, ibi quae opus est suminus, non per proteruiam sed ex necessitate." Fautor necessitatis, seu moderamen inculpatae tutelae sic explicari potest: Collidente mea cum alterius conseruatione, magis interest, posthabita aliorum, subuenire in quantum licet, meae conseruationi. Minime opus esse puto hic confugere velle cum GROTIOR) et affeclis, colorandae huius necessitata-

p) JEAN JACQUES ROUSSEAU *Contrat social*. Amst. 1772. l. 1. C. 4. p. 11. "La guerre privée d'homme à homme ne peut exister, ni dans l'état de nature où il n'y a point de propriété constante, — ni dans l'état civil etc."

q) In *expeditione CYRI* lib. V. C. 5. §. 9.

r) GROTIUS de I. B. et P. lib. 2. C. 2. §. 6. n. 1. 2.
item WATTEL *droit des Gens* lib. 2. Cap. 12.
et PUFFENDORFF de I. N. et G. l. 2. C. 6. §. 5.

statis gratia, ad fictam illam primaeuam communionem. Tum enim necessitas respectu victoris, iustitiam facti ex salute propria, iam satis comprobatur.

§. XV.

In statu sociali iuris fons est salus communis.

Quod si vero gens consideratur in nexu sociali quodam cum alia, tunc sane longe alia enascitur et salutis et iustitiae relatio, et tunc quoque non amplius salus propria sed communis, (licet ex propria ortum traxerit) normam praescribit, secundum quam computari debent actiones morales. Non vbiuis omnia, non vbiuis eadem, sed sparsa per varias terras reperies spontanea Naturae dona, ad vitam sustentandam necessaria, ut et communitati cultuique corporis inferuentia artis humanae producta. Geni humano in vniuersum benigne prospiciens natura, aliud huic, aliud illi negando, cogit singulas gentes in socialem transire nexum, superflua quaeuis inter se permutare et mutuo se inuicem auxilio adiuuare. Sic defectus virium ad perfectionem populi promouendam necessariorum effecit, ut sponte populi a libertate originaria secesserint, pacta inierint, ac interesse commune priuato praetulerint. Sic ipsa societatis natura desiderat ut alii aliis profint, ut communes utilitates in medium afferant, dando accipiendo, et haec omnia magis aut minus, pro ratione arctioris aut laxioris vinculi. Inde iura conuentionalia aliaeque ob manifestam salutem, tacito consensu normae, terra marique enatae, quae prout nexus strictior seu laxior cum externa gente fuit, maiorem aut minorem obligationum ambitum procreauerunt. Iuris socialitatis essentia ipsa, pro natura nexus, iura alias imperfecta, nunc in perfecta transire fecit, mutuaque beneuolentia, bona fides, pro negotiorum socialium fundamento positae sunt, ac iustitiae vis, ampliore extensionem accepit.

§. XVI.

In statu civili salus vero publica est iuris norma.

Salus ergo siue propria siue communis pro cuiusque gentis statu, ut vnicum, summum ac praeualens iustitiae principium considerandum, est. Vbiunque negotia hominum consideres, omnium rerum gerendarum scopus erit salus. Sic in statu civili quoque salus negotiorum est fons iuris.

risque principium, non propria, nec tantum communis, sed potissimum publica. Ibi enim in obligationibus subditorum pro vniuersali regula assumendum est: non quod cuique conueniens esse videtur, sed quod lex, salutis publicae causa lata, praecipit aut vetat. In hoc enim statu propria cuiusque indiuidui utilitas solummodo in tantum permittitur, in quantum haec saluti publicae seu legibus non aduersatur: quia ibi proprium interesse ac commodum, vniuersae ciuitati damnum afferre et in vitium verti potest. Ad illud ergo, certo respectu et pro ratione circumstantiarum non adeo attendendum est, sed potius omnes subditorum actiones ad salutem reipublicae sunt accommodandae, et collisione existente, semper publica praeferenda est. Ex hoc capite virtutes Leonidae, Codri, Reguli, aliorumque Graecorum Romanorumque virorum celebratae sunt. Inde notiones subditi et Imperantis, criminum at gratiae, patriotismi ac rebellionis, prout interesse publicum seu priuatum ciuium mentes direxit, originem duxerunt.

§. XVII.

Ex hoc fonte etiam Gentes omnia deducunt.

Ex dictis patet, in diiudicanda omni lege naturali, in constituenda quavis lege conuentionali, inter moratiores Gentes, salutem semper pro primario scopo agnoscendam esse, atque pro norma actionum inter se existentium; ab ea enim pendent axiomata illa ac vera fundamenta, sine quibus societatis nexus nullo modo constare potest. Ex his fundamentis ex natura rei et paciscentium petitis, stabilitae atque in vniuersum assumtae sunt regulae iustitiae, laesivae, bonae fidei ac vindictae, a quibus vis obligationis vnice pendet.

§. XVIII.

2) Quoad subiectum, 1) voluntas contrahentium utilitatem determinat.

Quoad subiectum, si de voluntate agitur, respiciendum est ad voluntatem contrahentium. Haec enim (in omni casu ubi obiectum, pro natura rei rite determinari potest et contrahentes de eo disponere libere queunt) veram constituit normam et vim iuris et obligationis. Valor rei communis inter gentes pro basi hic minime admitti potest. In contractibus, ait

GRO-

GROTIUS¹⁾ aequalitatem natura imperat, id nemo negabit. Sed hac lance qua aequalitatem ex institutis ciuilibus ponderat, inter Gentes quis vti poterit? In statu ciuili vbi pretia rerum satis determinata sunt, etiam pondus facile inuenitur. Inter Gentes vero nulla alia mensura reperiri potest quam quae ex voluntate pacifcentium dependet. Celeberrimus Iuris Gentium restaurator alio loco ipse fatetur²⁾, “inaequalitas rerum in quam consensus est, in actionibus exterioribus pro aequalitate habetur” et ne destruat haec confessio ea quae antea asseruit, ex Iure Gentium voluntario rem mutata esse contendit. Quum itaque consensus omnium Gentium cultiorum, de eo quod iustum est, pro optima interpretatione habendus sit, quum omnes ab omni aevo rei vtilitatem ac valorem ex voluntate aestimauerint, hinc sane concludi debet, voluntatem solam, non modo secundum ius Gentium voluntarium, sed etiam vniuersale, leges praescribere, ad quas semper respiciendum, quippe quae res et aequalitatem rite diiudicare docent.

§. XIX.

2) *Pretium rei est semper relatiuum respectu vtilitatum.*

Quod ad pretium nempe rei pertinet, sciendum: Pretii notionem minime generali definitione comprehendi posse, sed semper relatiuum inuolueri ideam, quia valor rei proprius, siue intrinsecus, nihil confert ad aestimandum pretium, sed voluntas vnice, rei valorem constituit. Sic accidere potest, e.g. vt crustula panis, fame laboranti centum nummis aureis quos possidet, in dato casu, praefertur, nonobstante inaequalitate communi. Sic inter Gentes omnis valor, a raritate vel abundantia, a necessitate vsus vel inutilitate, ab affectu vel indifferentia et in genere a mille circumstantiis aliis pendet, an magni seu parui habeatur. Barbarus, America detecta, magnum auri pondus pro cultellis aliisque nobis vilioribus instrumentis ferreis cum Europaeo sponte permutauit. — Cui minus habenti ius ortum? Iure Gentium, nemini. Cuiusque tempore permutationis vsus rei permutatae magis intererat et sola voluntas aequalitatis erat domina, prout cuique iudicium de vtilitate relatiua rei permutatae id suadebat. Sic recte

B 2

C I-

¹⁾ GROTIUS lib. 2. C. 12. §. 8.

²⁾ IDEM cit. loco §. 26.

CICERO ^{u)} in diiudicandis mortalium actionibus ad eorum utilitatem respiciendam esse autumat; sic in omnibus Gentium placitis sine dubio generalis regula obtinet; volenti non fit iniuria; sic omnia, ad id quod paciscentibus expediat, referri necessario debent; non obstantibus iis quae PUFFENDORFIVS ^{x)} ex patribus Ecclesiae et poetis ad hanc aequalitatem rei determinandam, testimonia allegavit. Sed cum voluntas nostra iudicii eam dirigentis sit sequela, eaque a natura intellectus dependeat, merito ex natura iudicii obligationum vis eruenda est.

§. XX.

3) *In populo semper iudicium bene conformatum supponitur, sed limitatum.*

Videamus nunc quo modo et quo vsque iudicium norma dici debeat, secundum quam voluntas Gentium dirigatur ac dirigi potuerit. Impedimenta illa quae alias in iure ciuili, vt talia quae faciunt inhabilitatem, annotantur, scilicet: minorennitas, error, laesio per dolum, sexus sequior alique defectus, quibus senatusconsulta ac praetores, ob imbecillitatem humanam, succurrere solent, hic, si res de populo, de Gente in vniuersum agitur, minime locum habent. Causa est, quia negotia Gentium iuris ciuilis apices ac tricas plane respuunt; qua propter lepide MAVRICIVS Saxoniae Elector, in pari casu Imperatori CAROLO V respondit ^{y)}: "cum Imperatore me negotia gerere exillimaui, non cum legista." In populo, sicut et in quocumque, quem generis nobilitas seu sua virtus ad reipublicae gubernacula admouerit, semper supponitur atque supponi debet, aetatis maturitas, optima rerum cognitio, recta ac sana mens, maxima prudentia, iudicium bene conformatum, in omnibus negotiis quae reipublicae causa cum exteris peraguntur. Tamen non obstantibus iis, cum optimis quoque ingeniis certus quidam sit finis intellectus, atque facultatis iudicandi terminus, vltra quem omnia caliginosa nocte premuntur, sic Gentibus etsi omni ingenii acumine praeditis, pari ratione est modus, sunt et intellectus et voluntatis limites, ad quos necessario circa obligationis extensionem respiciendum.

§. XXI.

^{u)} De officiis lib. 3. "Nec tamen nostrae utilitates omittendae sunt sed suae cuiusque utilitatis, quod sine alterius fiat iniuria, seruendum est."

^{x)} PUFFENDORFF de I. N. et G. lib. 5. c. 3. §. 9.

^{y)} AMELOT DE LA HOVSSEY Introduction aux Observations sur les traités recueillis par LEONARD T. I. pag. 2. 4to 1693.

§. XXI.

Id ex prinapiis Iuris Gentium non civilis indagandum est.

Obligaciones pleraeque, cum ex pactis et conventionibus enascantur, et ex ipsis pactis et conventionibus dedicendae sint, ideo naturalia ac a gentibus agnita conventionum requisita inquirenda sunt, ut certius de eo quid sit iustum aut iniustum concludere possimus. Prius tamen hic animadvertendum puto, quod sedulo hic plurima IVSTINIANI praecepta segreganda sint, ne ad naturam rei ea, quae solummodo ex institutis civilibus legem constituunt, ad nostra applicare inducamur. In omnibus enim negotiis quae gentes spectant, Triboniani principia non aliter locum habent, quam sub ea conditione, si nempe evidentissime pateat, ea vnicuique natura rei, absque ullo legislatoris cum subditis relatione deprompta esse. In sequenti capite ergo ubi de requisitis pactorum ac foederum, seu de iis quae ad conventionum legitimarum essentiam a Gentibus recepta sunt, nobis sermo erit, nulla omnino mentio fiet de contractibus nominatis et innominatis, consensualibus et realibus, de pactis nudis, vestitis seu adiectis, de civilibus contractuum vitis ac cautelis, deque diversis, ex hac civiliter sancita differentia, enascentibus obligationibus, quippe quae omnia huc non pertinent. Ex ipso enim iure civili probari potest quod, (l. 20 ff. de iurisdictione) extra territorium suum ius dicenti, impune non pareatur.

CAP. III.

De requisitis conventionum inter Gentes.

§. XXII.

Quid sit conventio.

Obligationum generalium perpaucae admodum sunt, quae a natura in sensu proprio sic dicta, absolute oriuntur, etiam obligationes, quae ab indole nexus socialis ipsius immediate pendent. Illae in genere prohibent aliquid facere quod alteri sit noxium; hae vero in specie Gentes iubent mutuam habere comitatem et voluntatem qua quisque studeat alterius utilitatem promovere in quantum id, absque alterius incommodo licet. Sunt

B 3

vero

2) GRIEßNER *Iuris Prud. naturalis* lib. IV. 1748. lib. 3. Cap. 4 §. 2.

vero alia Gentium iura quae item aliis innituntur fundamentis. Hinc si hodie inter Gentes velis de pactis et obligationibus iudicium ferre, si velis penitus indolem ac naturam conventionis cuiuscumque perscrutari, ut certo determinare possis, quid sit in his iustum iniustumve, ad voluntatem pacifcentium et ad ipsum inter Gentes consensum respicias oportet. Conuentio est consensus duorum vel plurium in idem placitum. Hac definitione apparet duo potissimum hic consideranda esse 1) placitum 2) consensum. Quae vero recepta sit inter Gentes horum requisitorum determinatio, nunc iam paulo vberius explicemus.

§. XXIII.

Quoad placitum, sit scriptum.

In determinando placito, pro vario more ac tempore, varia etiam viguere criteria. Olim verbis tantum data dextra Gentes contentae fuere. Aliquando aeri vel marmori incisa, templisque deposita placita, aliquando per faciales patre patrato seu voce praeconis divulgata, aliquando iurisiurandi religio, postea testes adhibiti. A Friderico Barbarossa, (vti iam alibi ostendimus *a*) instrumenta publica primo per notarios in perpetuam rei memoriam scriptis confirmata, deinde etiam omissis notariis, scripturae mandata sunt. Huius consuetudinis rationem per aliquot saecula in ipsis placitis notatam reperimus *b*). Denique inualuit non modo consuetudo, sed et necessitas Gentes coegit, placita sua in vim probationis eorum quae conuenta sunt, scriptis adnotare. Hinc patet conuentum aut foedus, nullam hodie vim obligandi habere nisi sit scripto corroboratum; et hinc necesse est vt omnia iura, quae ex tali pacto cuique competunt, ex verbis et tenore instrumenti vnice petantur, desumantur ac probentur: Nulla igitur conuentio nunc fieri potest obligatoria, nisi ea, per documentum legitime et rite formatum, demonstrari possit. Hac de causa vbicumque sedulo registraturae (archiua) dictae conferuantur et singularia talium archiuorum iura exinde orta sunt *c*).

§. XXIV.

a) *Essai sur les Garanties* Sect. 2. C. 1. p. 49. seq.

b) *Transaction sur la succession du Royaume de Chypre de 1462.* SCHMAVSS cit. p. 83. „Comme il est expedient, pour esquiver differences, reduire par ecriture les conventions, afin que par laps de tems, au defaut de memoire — la verite ne laisse par d'avoir son lieu — par la teneur de ce present“ etc.

c) vid. III. PÜTTERI *Ins publ. Germ.* 1. 3. l. 2. §. 127. Ed. 1770. p. 114.

§. XXIV.

2) *Obiectum sit determinatum.*

2) Obiectum de quo conuenitur, in quocumque placito determinatum esse debet, in quantum id pro natura rei fieri potest. In his determinationibus praecipua est sequens regula: In consiciendis conuentis contrahentium voluntas sic exprimitur, vt quiuis peritus, quid voluerint partes, primo intuitu agnoscere possit. Alias simul ac de dubiorum interpretatione verborum quaestio mouetur, nimium referuationes mentales enasci ac maximae controuersiae immo et dira cruentaque bella exinde subsequi solent. Haec recentiori aeuo, omisis aliis, illustri ac notissimo exemplo ex pace Ultraiecti ad Rhenum circa Acadiae fines *d)* probantur. Nam in his rebus Doctorum etiam consultissimorum interpretandi regulae nihil iuuant, et alias aequus in decidendis controuersis arbiter tum difficilior inter Gentes proponi potest, ob particulorem nexum quo quisque cum alterutro litigantium nunc iunctus est. Hinc maxima negociatorum circa obiectum cura esse debet vt conuenta semper verbis luce meridiana, vt dicitur, clarioribus exprimantur. Ex folis enim scriptis ordinarie expressa pacificentium voluntas diiudicatur; nisi alias partes exposit authenticas interpretationes circa obscuriora, vt fieri solet, separatis articulis adiciant. Hac enim regula, alterutrius negociatorum incuria, neglecta, inopinatum saepe vni Genti exoritur ius, alteri vero imponitur onus *e)*.

§. XXV.

3) *Obiectum transferenti sit proprium.*

Obiectum 3) de quo conuenitur in libera transferentis potestate sit, seu cum consensu Dominorum tertio adiudicetur necesse est. Accidit vero aliquando vt circa aliena, aequilibrii seruandi causa, seu ob alias rationes, sub

- d)* SCHMAVSS cit. p. 1332. art. 22. ad annum 1713. "Acadiam totam suis antiquis limitibus comprehensam in perpetuum cedit. — De varia limitum antiquorum interpretatione videantur. *Memoires des Commissaires Anglois et françois*, sur les droits respectifs etc. 3 Tomes. Amst. 1755. 8vo. Alibi nunc quoad limites melius prospicitur vidl. SCHMAVSS p. 1852. art 4 collat: cum art 8 tractatus pacis inter Sueciam et Russiam, item in pace Warlouiae 1774. cum Polonia; Chicucini 1775. cum Turcis etc.
- e)* *Lettres du Card. Mazarin*. Tom. 2. Ep. 94. Specimen de vi verborum in consiciendis articulis intuitu pacis pyrenaeorum affert.

sub sperati conuenta coeantur; sed e regula nemo valet de re aliqua pactum inire, nisi alteruter de ea plenam disponendi facultatem habeat. Hinc si adiudicans nullum de re conuenta disponendi ius habuit, conuentio, quamvis alias eius requisita omnia adsint, inanis ac irrita manet. Sic nullius momenti fuisse Indiarum donationem Alexandri sexti *f*) iure asseruit GROTIUS *g*), aliique. Sic sponfiones a mandatariis (quam maxima etiam fuerit eorum potentia, conclusae et nondum a mandantibus ratificatae effectu carent. Sic etiam pacta a contrahentibus ipsis alias rite peracta, si contra leges fundamentales sit contractum, collabuntur. Ex hoc capite Tractatus Blesensis 1504 inter Imperatorem Maximilianum et Ludouicum XII Galliae regem irritus fuit *h*) quia ditiones galliae incorporatae inalienabiles fancitae fuerunt *i*). Ex eodem fonte etiam Borussiae Rex, perdurans ius quaesitum in Prouinciis Silesiae, non obstante tractatu de 1686 ab auo suo cum Imperatore concluso, ob fideicommissa familiae de non alienando de 1437, 1473, 1541 et 1603, demonstrauit *k*).

§. XXVI.

II. Quoad consensum 1) supponitur matura gentis paciscendi facultas.

Haec de obiecto. Nunc de consensu II, quaedam monenda sunt. In quouis pacto 1) maturam contrahendi facultatem in Gente semper supponi, iusque gentium omnes exceptiones ac cautelas, cuiuscumque iuris positui ciuilibus respuere iam superius diximus. Hic in vim probationis innumera in conuentis ipsis exempla asferri possunt. Nam quaeuis gens simulac sese conuentionali lege obstringit, hanc ob manifestam sui ipsius utilitatem, deliberato animo condidisse fatetur et ubique claris verbis addit *l*); „quod talia conuenta, ex mera animi voluntate, ex certa sententia „ac diligenti consideratione praehabita, non coacta, nec seducta seu circum-

f) Bulla Alex. Pont. Regibus Castellae de limitibus Indiarum concessa SCHMAYSS cit. p. 130.

g) GROTIUS de iuri lib. 2. c. 7. II. SOUCHEVS de Iure feodali. Sect. 3. §. 10.

h) MABLY droit public de l'Emp. Tr. art. france.

i) ROUSSET *supl. au Corps Dipl.* T. 3. p. 2. pag. 166. Edit. de Louis XV. de 1717. „Les „loix fondamentales de notre Royaume nous mettent dans une heureuse impuissance d'alienner le domaine de notre couronne.“

k) *Rechtsgegründetes Eigenthum auf die Herzogthümer Brieg*, etc. Cap. 3. p. 21. 1741.

l) SCHMAYSS cit. latine p. 50. 88. 125. 162. 238. 247. 251. 286. 293. 666. 895. 924. 1359. 1375. 1462. gallice pag. 421. 425. 872. 1317. 1320. 1326. 1757. germ. pag. 461. 489. 671. 1694. 1824. etc.

„cumuenta, cum omni maturitate concepta et approbata, non improvide
 „aut per errorem, sed sano consilio, cunctis perpensis ac bene expensis,
 „proprio motu, (et vbi consensus statuum requiritur) ope et consilio pro-
 „cerum, omni meliori modo perponderata concludantur.” Hinc nulla
 imbecillitas humana, nullaque subterfugia olim inter Gentes a legis ac
 decretis inserta admittuntur. Sic merito refutata fuere ab Imperatore
 CAROLO V^m ea, quae a Gallis, (occasione pacis quam FRANCISCUS I,
 eorum Rex, libertatis obtinendae gratia 1525 n) subsignauerat), ex capite
 coactionis et praemissae clandestinae protestationis prolata fuerunt. Nam,
 si recte FRANCISCUS argumentari voluisset, ita ipsi ratiocinandum fuisset:
 Vel salus patriae sine me promoueri nequit vel potest. In priori casu
 quocumque legitimo modo liberer, pax mihi ineunda est; in posteriori
 vero, nulla ratione mihi onerosae libertas emenda est. Sed haec, quibus
 vti voluit, cautela, aliae iuris ciuilibus remedia, cuius genti, qua corpori
 morali, et cuius ciuitatis rectori gentem repraesentanti, aduersantur, nul-
 laque reseruatio mentalis hic locum habere potest.

§. XXVII.

2) Ad firmandam voluntatem requiruntur a) subsignatio mandatariorum.

Hoc in genere, ex natura cuiusque regiminis, circa optimum de eo
 quod agitur iudicium, posito, (praesertim quoties de rebus, quae mature
 concipi possunt, sermo est); nunc ad requisita, quae ad firmandam contra-
 hentium voluntatem essentialiter inter Gentes postulatur, transeamus.
 Duo in omni pacto adesse debent subsignatio et ratificatio. Cum omnes
 ferme Gentium conventiones per plenipotentarios conficiantur, quia rari-
 ssime a paciscentibus ipsis negotia peraguntur, ac si de republica sermo
 sit, peragi nequeunt; naturaliter ad probationem consensus eorum quae no-
 mine mandantium tractata fuerunt, subsignatio mandatariorum et quidem
 pro-

m) Observations sur es traités p. 57. vbi AMELOT refert Carolum exceptioni, ex paroemia velle
 non creditur qui retinetur respondisse. “Que s'il étoit vray que les prisonniers ne pussent

pas engager leur parole, pour obtenir leur liberté, il seroit inutile de traiter avec eux;
 et qu'ainsi la prison seroit perpetuelle ou la guerre sans misericorde pour les vaincus. Chose
 contraire au droit des Gens.”

n) Recueil des Traités par Leonard. 6 Tomes 4to Paris 1693. T. 2. p. 220. et protestatio eo-
 dem p. 210. 217.

propriis sigillis requiritur. Alias omnia iura, omnesque obligationes mutuae in tali documento relatae, nihil aliud sunt quam propositiones circa quas convenire student partes, atque nullam legalem vim continent: Sed instrumentum a legatis subsignatum ac sigillis cuiusque corroboratum, praesumptionem maximam dant, quod isti talia, vi instructionis fecerint atque nomine mandantium plene in omnibus eius contentis consenserint. Haec subsignatio etiam, in medio aevo, per certum tempus sufficiebat ad plenam consensus certitudinem designandam. Imperantes enim ipsi tunc temporis fere omnes analphabeti erant. Sed cum saepius euenerit, ut mandantes nihilominus his pactis non steterint, ac non obstantibus plenipotentis instructionibusque in hunc finem datis, legatos mandati terminos excessisse obiecerint, et gentes tali pacto fretae aliquando illusae fuerint, recentior aetas quiddam ad complendum consensum necessario postulat.

§. XXVIII.

b) Ratificatio mandantium.

Ne quoad probationem consensus, vilo modo aliquis exceptiones opponere possit, etiam *ratificatio expressa mandantium* quae legi conuentionali plenam roboris vim ac virtutem confert, subsequi debet. Hinc est quod hodie nullum pactum licet etiam sit scriptum de obiecto determinato ac sub dispositione eorum quorum interest existente, ubi consensus rite expressus ac signis sigillisque mandatariorum confirmatus, nunc pro efficaci habeatur, nisi sit quoque ratificatum: immo etiam ne vitium sub et obreptionis forsan obici possit, in tali subscriptione a Rectore ciuitatis signata, adhuc ministri rerum externarum praesidis, contrafirmatio desideratur. His existentibus ac concurrentibus, omnes conuocationes inter Gentes Europae legitimae dicuntur ac plenum inter contrahentes ius constituunt, Ita omnia quae sic acquiruntur vel promittuntur seu vice versa, optimo iure acquisita vel promissa censentur.

CAP

CAP. IV.

De vi ac efficacia obligationis circa obiecta praeterita ac praesentia contractus.

§. XXIX.

Quid bona fides? cuius triplex sensus a) in dictis sinceritas.

Statim de bona fide, qualis sit respectu gentium quaedam praemittenda sunt, ne, cum diuersis modis hoc verbo vtantur homines, male quis, quid gentes per hanc subintelligant interpretetur. Non ideo a re alienum erit propter argumenti affinitatem verum huius notionis inter gentes sensum hic determinare. Tres dantur potissimum bonae fidei significatus quos per fidem moralem, possessoriam, ac pactitiam distinguam, quae distinctio ad intelligentiam scriptorum, qui de rebus publicis argumentati sunt maximi mihi videtur momenti. Primo vsu loquendi solito, bona fides est verborum cum mentis perceptione conuenientia seu in dictis sinceritas, fides moralis. Quamuis gentes hanc animi qualitatem tanquam virtutem agnoscant, tamen si quis in negotiationibus seu dictis, non semper eam adhibeat, non ideo laesionem exinde enatam esse excipere possunt nec excipiunt o). In negotiationibus autem, nunquam tam ad dicta legati attendendum est, quam ad ea quae intendit, an genti cum qua agit expediant? et, si de articulis pacti quaestio est, an scripta euidenter enunciata, cum eo quod quisque expetit congruant? Ceterum multi variis modis iam decepti fuerunt, quamquam nemo vnquam hac de causa ex capite laesionis reparationem petere potuerit. Non vigilans habeat sibi.

§. XXX.

Hanc iure perfecto peti non posse exemplis monstratur.

Inter exempla talis illusionis, respectu foederum facta, haud proprie refero illud FERDINANDI Catholici, qui fidem in ipsis pactis datam
C 2 fal-

o) *Observations sur les traités* p. 19. "La plupart des Ambassadeurs peuvent aujourd'hui mentir et tromper en toute sûreté de conscience — quelques lumières qu'il ait, il doit toujours supposer son maître plus clairvoyant que lui, et que tel ordre qui lui paroît injuste, ne lui causeroit aucun scrupule, s'il en savoit les motifs."

fallere non erubuit *p*), sed potius sequentia. Anno 1696. Dux subaudiae Anglorum focus, a Gallo falso, de violenta GUILHELM III. morte, deductus rumore, separatam cum L V D. XIV. iniiit pacem. Postea mala fide mandatarii detecta, tamen pactis stare tenebatur. Immo causa confederato allata, GUILHELMVS huic acquieuit, et non obstante defectione a foedere subsidiorum summam ob foedus debitam Duci soluit *q*). Quin etiam conventionum verba contra intentionem stipulantis interpretari licet, si ita sint comparata, vt contrarium quoque ex his elici queat. Sic deceptus Galliae praetor militum, qui 1735 in condenda Gedani capitulatione inter cetera sibi, Gallorum ad liberum maris baltici portum decessum stipulatus erat, M V N I C K I V S Russorum Dux *r*), capitulatione conclusa et hoc articulo concessio, eum cum suis captiuum Petropolin misit, vbi quoque liber maris baltici portus extabat. Quamuis hic sensus menti stipulantis maxime repugnaret, tamen capitulationi non contrarium erat. Clarius enim Gallus loqui debuisset. Tales ergo deceptiones in sphaera iuris Gentium laesionem non inuoluunt et fides moralis inter populos, misericordiae in ciue respondet; magnam parit laudem habenti, sed nullum ius perfectum dat exigenti contra reculantem. Qua propter etiam negotiatores duplicibus instructi saepius sunt mandatis, generalibus circa ea quae ipsi palam profiteri debeant, et secretis circa ea quae clam expedienda sunt.

§. XXXI.

b) *Quid bona fides possessoria?*

Eadem de bona fide possessionis dicenda sunt. In iure ciuili *r*) opinio domini rei, tempore acquisitionis ac secundum ius canonicum per totum possessionis tempus *t*) ius quaesitum proprietatis, elapso certo tempore a legibus praefixo confert. Magistratui summo licet, leges etsi duriores inter ciues ob necessitatem reipublicae, quietem publicam, amputationem

p) AMELOT DE LA HOVSSAYE. Observations sur les traités p. 49. "Temoin ce qu'il", (Ferdinand le Catholique) repliqua au Secretaire Quintana qui à son retour de France, lui rapportoit que Louis XII se plaignoit d'auoir été trompé deux fois par lui. Deux fois? »reprit-il, Pardieu; il en a bien menti l'vrogne, je l'ai trompé plus de dix fois."

q) Memoires DE LAMBERTI XIV Tom. Tom. I. pag. 1.

r) Entw. Staats. Sekt. pars. 6. p. 556.

s) l. 109. de V. signif.

t) C. 5. in fine X. de praescript.

nem litium, nec non in poenam negligentiae sancire. Sed tales leges extra nexum superioris et subditi, vim iuris alias constitutere nequeunt. Et dominii sola opinio, cessante iusto acquisitionis titulo, proprietario non expresse consentienti, ob certum temporis lapsum, ius in re inter gentes nunquam aufert. Hic enim iuris persecutio non, sicut in statu civili, adeo facilis. Vis maior saepius hanc viam impedit, ita ut ad colorandam possessionis iustitiam, tacitus consensus opponi non possit. Vnde quamvis me non fugiat Doctores in medio aeo Iustiniani de praescriptione theoriam ad gentes applicasse, multaque praesertim inter principes Germaniae ex hoc fonte decisa fuisse atque ex observantia et nexu feudali vim iuris passim obtinuisse; tamen ruptis opinionum ac praecudiciorum vinculis quibus premebantur Gentes *u*), iam breui post Pacem Westphalicam, in foederibus ipsis, huic errori sese opposuerunt *x*), et nunc saniora principia naturaeque rei magis adaequata sequuntur. Per consequens ad praescriptiones ac rationes quibus nitebantur, ergo ad bonam fidem ex hac iuris civilis notione ortam non amplius attendunt: statuentes quod tempus praeteritas iniustitias iustificare certumque alterius ius infirmare nequeat. Hinc adhuc plures iustae praetensiones iurium iniuste quamvis antiquitus amissorum, quibus non legitimo pacto expresse renunciatum fuit, supersunt *y*).

§. XXXII.

Quid bona fides pacifitia.

Restat ergo tertius bonae fidei significatus, vnicus inter gentes cui ius certum ex eo oriatur nempe *fides pacifitia*. Haec in eo consistit quod pacto rite concluso, pacifcentes e regula huic stare spondent et nunquam ab eo recedere tenentur. Ergo non solum is qui contra hanc bonam fidem agit, laedit, laesofeque ius cogendi ut bona fide agere pergat tribuit, sed etiam libertatem ceteris dat, laeso desideranti succurrere; ne sacrum hoc inter gentes principium, *suum cuique tribue*, euertatur, iterumque ansum ad omnium ciuitatum diruptiones, hoc sublato, praebeat, nec dominia

C 3

re-

u) SCHMAVSS C. I. G. A. p. 2297. ad an. 1641.

x) SCHMAVSS eodem ad finem. p. 705. art. 89. et 90. Galli ac Hispani huic methodo ita resistunt. "Non obstante praescriptione quacumque aut temporis lapsu quae in contrarium allegari possit — omnia iura — quibus non expresse renunciatum est — reseruentur.

y) Vide CHRIST. HERM. SCHWEDER theat. Praetensionum fol. et *Pistorii annoenit.* P. 2. pag. 73.

rerum rursus incerta euadant atque inter potentiores hinc inde semper fluctent, barbariesque humano generi perniciosissima iure proprietatis vacillante, plumbeum iterum caput extollat ac ingens vbiuis chaos renascatur. Hae rationes ex natura generis humani ac salutis vniuersalis desumptae dicuntur et statuunt generalem regulam: pacta sunt seruanda.

§. XXXIII.

Quod pactis sit standum 1) ex ratificationibus patet.

1) Non doctrinalem tantum, sed ipso vsu maxime receptam et a gentibus agnitam esse regulam, praesertim cum de obiectis praeteritis ac praesentibus sed conuentum, comprobant ratificationes omnes, et verba perpetuae durationis quae his communiter adiiciuntur. In omnibus enim voluntatis mandantium confirmationibus, pactorumque certiorationibus, verbum regium bonamque fidem pactitiam reges spondent ac promittunt 2) nempe quod velint sancte et religiose omnia conuenta obseruare ac colere. Republicae vero quum non verbo regio vti possint, verbis aequiualentibus, se sincere et bona fide quicquid in conuentione continetur firmiter et inuolabiliter seruaturas spondent 3). Fatentur ergo omnes Europae gentes in ratificationibus, simul ac sese legitime pacto obligauerint, se ad id teneri nec non huic standum esse; praesertim cum de obiectis praeteritis ac praesentibus paciscuntur. Id non solum in ratificatione sed et in tractatibus ipsis expresse vbique declaratur.

§. XXXIV.

2) Ex verbis adiectis, praesertim in pactis praeterita et praesentia concernentibus.

Nam 2) quoties de obiectis praeteritis ac praesentibus tractandis agitur, hae conuentiones semper in perpetuum non tantum pro contrahentibus, sed etiam pro successoribus haeredibus ac posteris concluduntur, seu ex paterna ea cura quam erga subditos exercere student, seu ob salutem publicam, seu ob alias rationes in bonum regni vel reipublicae spectantes id fieri testificatur. Sunt enim talia verba, quod probe notandum, pactorum circa obiecta praeterita ac praesentia, notae characteristicae, et proprie

2) SCHMAVSS C. I. G. A. quoad reges, latine pag. 293. 664. 1338. 1375. 1756. 1757. 1825. germanicae p. 929. 1695. 1824. 1860. gallice p. 295. 1359. 1378.

3) SCHMAVSS cib. quoad republicas pag. 1644. 1758, et LAMBERTY Tom. IX. pag. 43.

prie ad pacis, cessionis, transactionis, venditionis, donationis, renunciationis, aliasque eiusdem generis conuentiones adici solent. Et hoc quidem iam ex natura rei et subiecti patet. Optime enim populus de rebus praeteritis ac praesentibus diiudicare posse censetur, an expediat in perpetuum de dubiis vel certis iuribus transigere, certas res perdere, transmutare, vel quibusdam in perpetuum renunciare, nec ne: modo alias omnia pacti legitimi requisita obseruentur. Facillimum enim est, vel sub primo intuitu id, de quo agitur, animo perpendere, diligenter considerare, matureque concipere, et vtilitatem quae ex talibus conuentis redundat, aequa lance pensare: Haec enim minime vires ingenii vnus hominis superant, multo minus sagacitatem prudentis consilii corporis moralis cuiusdam effugere possunt.

§. XXXV.

Exempla.

Sic in Pace Westphalica *b)* *perpetuo* Domus Austriaca, Reges Galliae, Sueciae et totum Imperium, ad euitandam plurimarum Prouinciarum desolationem, ex tam acri bello ortam, quisque pro se et successoribus suis, multa transegerunt. Sic ad obtinendam pacem saluti regni necessariam, Suecia *c)* 1720 Districtum inter Pehnam et Oderam Regi Borussiae *pro se et successoribus suis* in perpetuum cessit. Eadem ratione in transactione de regno, Reges Iacobi Aragoniae et Maioricarum, se plene intelligere quae aguntur contentes, omnia contenta perpetui habere ioboris firmitatem volunt, eaque *per se et successores suos* expresse approbant *d)*. Eodem modo Iohanna Prouinciae Comitissa urbem Auenionem CLEMENTI VI. 1358. *in perpetuum* vendit *e)* Pari ratione, in pace Ultraiecti ad Rhenum conclusa, ob quietem Europae publicam et aequilibrii seruandi gratia, principes Galliae heredes, *pro se et successoribus* Regno Hispaniae, sicut et PHILIPPVS V. Gallico Regno, in perpetuum renunciauerunt *f)*.

Huc

b) SCHMAYSS C. I. PVB. p. 744. art. f.

c) SCHMAYSS C. I. G. A. p. 1832. "Zur Befestigung der Ruhe — Wie für uns und unser Nachkommen, keine davon ausgeschlossen, — die — pleno iure eigenhümlich und in perpetuum überlassen haben."

d) SCHMAYSS EODEM p. 2172.

e) IDEM EODEM p. 50.

f) IDEM EODEM p. 1315. 1319. 1324. 1328.

Huc etiam spectant plurima alia pacta eiusdem indolis, quae hic commemorare superfluum videtur.

§. XXXVI.

Ratio.

Id enim ex natura rei iam liquet; communis enim omnium utilitas, perpetuo in nexu sociali permanens, hoc effecit, ut fides pactitia, inter Gentes sacra, sancta atque inuiolabilis semper agnita, ac posito pacto, vindictae, contra non obseruantem, manifestissimum ab omnibus receptum ius, laeso enatum sit. Quo fit ut e regula qui fidem dedit, absque iniuria ab ea recedere non audeat, ac in pactis praeterita seu praesentia concernentibus, obiecto uti iam superius dictum, rite ac cum omnibus requisitis semel determinato, iustaque de eo disponendi facultate existente, nunquam iustam, nequidem apparentem, fidem reuocandi rationem allegare fas sit.

CAP. V.

De vi obligationum circa futura, et quidem primo de iis quae quoque in perpetuum fiunt.

§. XXXVII

Quid promissio in genere a) rem semper sese ita habere.

In qualibet conuentione, (si promissa in genere spectentur), adest promissio. Nam promissio generaliter sumpta, est assertio voluntatis futurae tertio declarata. Vnde tot sunt promissionum species quot diuersi generis obiecta, ob quae fiunt, extant. Nam, quoties de praeteritis ac praesentibus contrahitur, quoque asseritur quod, in futurum semper rem, sicuti mentem de hac declarauerit, ita sese habere, ac conuentis uti statutum est, stare quisque velit. Talia promissa ex superabundanti fiunt. Haec enim iam, uti ex natura eiusmodi conuentionis patet, in ea per se continentur. Alias nullam conuentionis notionem sibi quis fingere posset. Fiunt ergo tantum ad demonstrandam seriam paciscentium voluntatem et ad declarandum quod partes reuera et cum vi sese obligandi tale pactum iniuerint. Promissio igitur, in tali casu nihil aliud est, quam agnitio solennis de certitudine voluntatis nostrae in perpetuum vel vsque ad tempus seu casum praefixum

fixum factae, quod in pactis sub conditione resolutiua initis accidere solet; vbi verbi gratia ius reuerfionis, existente quodam casu, sibi quis referuat g).

§. XXXVIII.

b) *Semper ita vti agnitum decus permanfurum.*

Huc etiam referri debent, promiffiones quod in futurum semper agnitiones quaedam factae sic permanfurae sint, vti agnitiones titulorum, dignitatum honorumue cum annexis, quae nihil aliud quam certam praeeminentiam in ceremoniali procreant. Talia siue expressis pactis, siue ipso facto decernantur, in perpetuum perdurant. Sic in pace Ultraieci ad Rhenum, Galliae ac Hispaniae reges, Regi Borufforum iam ab Imperatore Leopodo ita agnito, "eum pro Rege semper habituros, eique omnes honores cum regia dignitate coniunctos, sua et successorum vice, ipsi Regi et heredibus in perpetuum concessuros" promiserunt h). Sic sub verbi Regis ac honoris vinculo, Rex Christianissimus 1713. promissit art. IV. "neminem vnquam praeter Dominam Reginam eiusque successores, secundum dictae limitationis seriem (hanoueranam) per se vel heredes et successores suos, pro Rege aut Regis Magnae Britanniae agnitum iri aut habitum" i). Eodem modo sibi Anna Russiae 1740 honores imperatorios a Turcis stipulata, quod etiam ipso facto ELISABETAE Russiae Autocratrici, Imperator CAROLVS VII. per Legatum de Neuhaufs et Daniae Rex per Legatum de Holstein in solenni audientia 1744. agnouerunt k). Haec sicut et multa alia quae in ceremoniali vsu conceduntur, ita vti concessa, in futurum permanent, simulac sine modificatione seu restrictione talia obtinentur.

§. XXXIX.

- d) SCHMAVSS C. I. G. A. ad annum 1713. p. 1727. art. 2. vbi deficientibus Domus Sabaudicae masculis successoribus, clausula reuerfionis ad coronam Hispaniae addita est.
- e) SCHMAVSS cit. ait. 2. separatus p. 1371.
- f) SCHMAVSS cit. p. 1314.
- h) *Mercurie hist. et Pol.* Tom. 116. p. 199. ex 665. Vide et ROVSSET *Ceremonial Dipl.* T. 5. p. 624. item MABLY *droit public de l'Eur.* T. 1. p. 294.

§. XXXIX.

c) *Promissa ob rem iam praestitam correlata.*

Porro ad pacta de praesenti referendae sunt promissiones ob rem, ea sub conditione acquisitam factae. Illae non qua obligationes circa futura considerari possunt, sed tantum qua consecutaria conventionis circa actus in praesens absolutos admitti debent; nempe ubi eo fine aliquid praestet. Tum ex tali alienatione oritur, quoad promissionem vicissim factam, sicut in emptione venditione, causa obligationis ex natura negotii necessaria, (quam Graeci *συναλλαγμα* vocant) l). Tum enim vi rei, hac sub conditione datae, vt alter vicissim det, tenetur vel in totum vel in quantum ipsi creditum est, promissor; quia alias tale ius in re ita acquisita non accepisset. Nam quoties ius in re tradita retinui, ea sub lege consensuali vt aequivalentem seu aequivalentis residuum reponam, toties non vi voluntatis solius, sed vi legis naturalis, suum cuique tribuendi, promissio correlata, est adimplenda. Inde recte PUFFENDORFVS m) inquit: quando alter ex foedere iam aliquid praestitit sub conditione praestandi aequipollentis, patet sane, ni reponatur, ius remanere alteri ad repetendam rem velut indebite praestitam. Eius indolis fuere debita quae, in alienatione Silesiae 1741. a Regina Bohemiae facta, iure hypothecario ad Anglos in prouinciis celsis pertinebant et quae Rex Borussiae persoluenda in se suscepit n). Haec debita, nisi soluta fuissent perpetuo iure peti potuissent, quia inter alia, etiam sub hac conditione, omnia quae ipsi ex Silesia cessa fuerant acquisiuerat. In genere talia promissa naturam pactorum de obiectis praesentibus induit et ex principiis ad haec conuenta, nempe ad actus in praesens absolutos pertinentibus, vnice diiudicanda sunt.

§. XL.

De promissis in specie.

Sed cum quis se in futurum obligat atque ius in alium, aliquas praestations exigendi transfert, tum oriuntur aliae promissionis notiones, quas hic

l) l. 7. §. 2. ff. de pactis.

m) De iure N. et G. l. 8. C. 9. §. 8.

n) Europ. Staats Sec. 77 Theil. pag. 394. art. 7.

hic pertractare locus est. Tale promissum de actibus futuris tum sic defini-
niri debet; Est declaratio voluntatis sufficiens qua quis sese alteri obligare
intendit. Ad sufficientem talis declarationis probationem, eadem requisita
in omni pacto inter gentes essentialia, sicut et paciscentis facultas, an li-
bere de eo quod promittit disponere valeat, hic quoque desiderantur. His
concurrentibus, casu adimplendae promissionis existente, vera quoque in-
sequitur obligatio, quae tamen quoad durationem et effectum iuris, subse-
quente ommissione, pro varia obiecti indole necessario differre debet.

§. XLI.

Divisio de his quae iam a natura debentur vel non.

Hic Grotii distinctionem, cum quadam tamen mutatione, applicare
nunc locus est. Foedera, inquit, alia idem constituere, quod iuris est na-
turalis, alia aliquid ei adicere. Verum est, sed cum, quoad conventio-
nes de praeteritis ac praesentibus, nil in effectu obligationis, intersit, an
aliquid iam a natura debitum, vel demum interueniente consensu sit stipu-
latum, quia in utroque casu, omnia haec conuenta aeque sint obligatoria;
haec distinctio iustius, actibus in futurum prominentibus, ad naturam et
durationem obligationis eruendam competit. Idcirco distinguendum est
inter promissiones 1) de officiis iam iure naturae citra omnem nexum socia-
lem ob interesse cuiusque proprium absolute debitis, seu de iis quae iam, po-
sito nexu sociali, ob interesse commune perfecte obligatoria euaserunt, et
2) inter promissiones quae demum interueniente consensu, vim obligandi
fufcipiunt.

§. XLII.

Quid iam natura praecipiat.

Quod extent iura a natura, (in quocumque statu quis versetur) per-
fecte debita, nemo nunc inficias ibit. Non ergo mihi, in saeculo ubi
gentes celesti hoc, quo gaudemus lumine, imbutae sunt, in demonstrando
hoc quod nihil a natura turpe sit, errore, tempus inutiliter terere necesse
est. Posthabitis his quae, ex sanioribus de religione principis et eorum in
aequiores hominum opiniones influxu, probari possent, naturam eiusque
leges, in hac recentiori aetate, magis studuerunt Gentes, eaque duce nunc
lubentius se regi patiuntur. Hinc in vniuersum ab omnibus moratoribus

populis admittitur quod, nisi, (quod absurdum foret) contra veram utilitatem nostram perpetuo agere, atque contra potentissimum naturae torrentem semper luctari velimus, suum cuique tribuere, ac neminem salva nostra conseruatione laedere nos oporteat. Id comprobant fere omnia vt appellantur manifesta in lucem edita, seu indictae belli causae, in quibus etiam si non adeo liquidae quandoque fuerint praetensiones, omnia ex hoc naturae summo principio, sua iura defendere iniustitiamque aduersariorum publice demonstrare, Principes conati sunt. Ita vt admissio, etiam absque vlla restrictione, decantato hoc convenientiae principio, ex eodem ipso sequitur, haec naturae axiomata inuiolabiliter esse seruanda, ne aliis ius retorisionis ostendamus, ac in nos regula retorqueatur, quod quisque iuris in alterum statuerit, eodem aduersus eum iure decernatur, aliisque licentiam, nos nostro gladio iugulandi, concedamus.

§. XLIII.

Hinc foedera huc spectantia sunt perpetui roboris,

Hinc foedera huc spectantia, (in quibus tantum obligationes vt dicuntur omisiuuae seu quae in non faciendo consistunt, suscipiuntur), in perpetuum valent; quia non ex solo consensu, sed potius ex rerum natura praecipiantur, atque paciscentes tum solummodo declarant se seruare, quod iam cuique propria salus suadet, et naturae conuenienter viuere velle. Huc referri debent omnia quae de neutralitate tractantur ^o), omnesque obligationum negatiuarum promissiones. Eo quoque tendunt quaedam promissiones positiuae, quae ad manutenenda haec naturae axiomata fieri solent, vt sunt conuentiones conseruatoriae seu protectoriae, siue sint mutuo in tractatu pacis adiectae, siue separatim eueniente casu, auxilia laeso requirentia tertio nude promittantur. Nudae vero sunt promissiones, vbi reges pro se et successoribus perpetuo sese obstringunt ad requisitionem laesi, huic contra non obseruantem, bonis officiis frustra interpositis, vi armata auxilio subueniendi. Nam cuiusque a natura interest, vt quisque quod suum est seruet, bona fides pactitia semper vigeat, et vt aequilibrium per-

^o) SCHMAVSS cit. p. 110. foedus inter Sigismundum Austriaicum et Helueticos conditum art. 2. „Wir Eyägenossen haben aus vereinigt — mit unsern güädigen Herrn v. Oesterreich und Erben — in Kriegsweise nimmermehr thun noch auch arges, davon Krieg entstehen möchte, fürnehmen, noch jemand aus uns — gestalten sollen und wollen.“ Vide et eiusdem Collectoris pag. 573. art. 3. p. 626. art. 63. p. 771. art. 9. p. 1109. art. 1. etc.

perduret; ne liceat potentiori viribus suis abuti, nec ambitus plurium ditionum quae in vnius personae dominium cedunt ac coalescunt, nimis magnus euadat, Europae libertas evanescat et deinde aliis tranquillitati ac utilitati communi consulere tempus non amplius superfit. Quae ratio ex vinculo sociali maiorem adhuc necessitudinis vim percipit.

§. XLIV.

Quoque ea quae ob utilitatem omnium communem contrahuntur.

Similiter eiusdem roboris vi pollent promissa, quae ex natura nexus sociali proveniunt, et ex speciali cuiusque indigentia, ac necessaria rerum permutatione, et ex mutuo cuiusque adiutorio, originem ducunt, simul ac tale vinculum inter gentes, (vbi inter Europae populos), existit; nouae in tali statu oriuntur obligationes, sine quibus illud cuiusque desiderii subleuamentum comparari nequeat. Ex hoc etiam fonte argumentatus est MONTESQUIEU qui affirmat *p*) Gentium in pace, tanta sibi commoda inuicem parare ac in bello minima quantum possint, absque proprio cuiusque detrimento, mala sibi inferre, ius esse. Hinc tales sociales obligationes etiam si alias ea, quae specialiter promittuntur, commutata Gentium utilitate, irrita fiant, nihilominus perdurant atque perdurare debent. Ita enim solummodo explicari possunt ea, quae in principio plerorumque foederum confitentur, quod pax et vnio perpetuo duratura, inter dictos confederatos eorumque successores esse debeat, quamuis alias, quoad singularia eius contenta, non a natura cuique competentia, sed ex consensu paciscentium demum ius constituentia, haec in certum temporis spatium qua obligatoria includuntur; quod in sequenti sectione fusius docebitur. Hinc quoque omnes legati, ablegati ac ministri publici plenipotentiarii, tales communis interesse, mutuae benevolentiae ac reciprocae amicitiae protestationes larga manu semper prodigunt; atque omnium eorum instructionum praecipuus scopus in eo consistit, vt vbi resident, ibi hos animi affectus erga mandantem perennare ipsis curae cordique sit.

D 3

§. XLV.

p) *Esprit des Loix* l. 1. C. 3. "Le droit des Gens est naturellement fondé sur ce principe que les diverses nations doivent se faire dans la paix le plus de bien, et dans la guerre le moins de mal qu'il est possible, sans nuire à leurs véritables intérêts."

§. XLV.

Quod etiam absque foederis vinculo iam observatur.

Caeterum istae ex nexu sociali in genere enascentes obligationes, etiam absque vilo speciali foederis vinculo iam observantur. Ea enim ex usu, obseruantia, vi iuris Gentium vniuersalis petuntur ac mutuo praestantur. Immo Galli (quamuis de Gallica fide multi scriptores dubitent) ex hoc fundamento cum exteris res suas agunt. Nam non obstante foederis commercii post bellum Hispanicae successione 1713 q) conditi, ob ratihabitionis defectum infirmatione, omnia officia, quae alias usu et consuetudine inter Gentes Europeas obtinent ac in dicto foedere conuenta erant, erga Anglos ob vtilitatem socialitatis communem adimplent r). Officia enim socialia circa securitatem commercii, libertatem, navigationis, amicitiam damni resarcitiones, liberum per terras comeatum, mercium non prohibitarum asportationem, priuatum religionis exercitium, honestam sepulturam, iurisdictionem, ius angariae, armatores, auxilia in mari debita, contrabandas seu merces prohibitas, exhibitiones litterarum in casu suspitionis ac circa pleraque in iure Gentium moribus introducta, tempore pacis, ob naturam Gentium maritimarum commerciique nexum, tempore pacis accurate et ex aequitate observant. Inde multo magis eiusmodi promissiones foedere sancitae ob perpetuam singulorum populorum vtilitatem perpetuo quoque sancte sunt colendae. Sic etiam ad essentiam confociationis totius Europae haec pertinent, vt nulla iusta ratione facile ab iis recedere quis possit; quia cuique Genti semper expedit efficere vt non solum quisque pactis stet atque legitime alienatis semper acquiescat, sed etiam paciscentes vt haec mutua auxilia ad nexum sociale necessario cohaerentia semper religiose exequantur.

§. XLVI.

Ratio.

Haec omnia, de quibus mentionem fecimus, foedera ex natura rei et facultate paciscentium, voluntatem suam, cum omni iudicii solertia recte de-

- g) SCHMAVSS cit. pag. 1341. art. IX. Non potuit hoc foedus ratiberi quia Populus anglicus indices vectigalium pro singulis mercibus imponendos vulgo *Tarif* dictos, per commissarios vt in dato articulo statutum erat, stabilire noluit.
 r) *Briefe von Mylord CHESTERFIELD an seinen Sohn STANHOPE* Tom. 3. Ep. 204.

determinandi, cum pleno iuris quaesiti in alterum translati effecti in partem valent, et semper de his iure dicendum est quod pactis sit standum; ita ut nemini ius poenitendi et a pacto recedendi libertas supersit; sicut et alteri erga contravenientem semper ius cogendi remaneat. Nam promissa eorum quae iam a natura debentur et quae ad essentiam vinculi socialis pertinent, iam citra omnem consensum, iure Gentium generali, cuique Genti innato et ob manifestam cuiusque salutem propriam seu communem necessario ad impleri debent, et potius certiorationis gratia, quam vi consensus, populi talia spondent. Hinc, si dentur casus, qui quandoque accidere possunt, ut quis vi maiori compulsus, iura sua quaesita amittat, potentiorique laedenti in praefens cedere cogatur; tamen nisi expresse his renunciauerit laesus, huic perpetuo iustae praetensiones competunt, et simulac vires ad sua iniuste oblata recuperanda sufficientes sibi parauerit, iniustitia redargui nequit, cum, non obstante longo temporis lapsu, demum iure cogendi utatur.

§. XLVII.

De varia coactionis methodo.

Tamen quoad coactionis methodum, pro varia damni patratum natura discrimen adest. Si de ablatione rerum iam pacto alienatarum seu domini in genere agatur; tum simulac fieri potest, vim vi repellere licet; Sin vero de obligationibus ob utilitatem communem receptis quaestio oriatur, et illae denegentur, tum par pari refertur, siue via retributionis in qua reciproca officia socialia denegantur, siue, pro re nata, iure repressaliarum, in quo subditi alterius laedentis insontes ad damna resarcienda tenentur. Nam quicumque se a nexu socialitatis segregat, agendo seu recusando facta quae huius vinculi seruandi causa sunt introducta, ipso facto caeteros ab obligationibus reciprocis liberat, nihilque amplius ab iis exigere potest quam quod in statu naturali absoluto cuique est concedendum. Hinc talis populus de iniuria conqueri nequit, si ius infociale ex hoc capite in eum retorquetur, seu ab aliis ius repressaliarum patiat. Fundamentum autem istius modificationis iuris cogendi ex re ipsa patet. Desuper pax quoad fieri possit, semper est colenda; nulla enim salus bello. Ex quo sequitur quod, quam diu iudicium quod nobis infertur, non ita est constitutum ut id belli impensas et in commoda superet, leniora remedia ad sua recuperanda sunt.

sint adhibenda et adhibeantur, sed quidquid sit, quouis modo cuique expediat alterum iniuste agentem ad damna perpeſſa reſtituenda impellere, ſemper huic ius cogendi, ob cauſas ſuperius relatas, contra non obſeruantem competit, et eo uſque ſemper affirmandum eſt quod fides data in ſempiternum ſit inuiolabilis.

CAP. IV.

De vi foederum ſpeciatim ſic dictorum vtriuſque, ob utilitatem initorum.

§. XLVIII.

Quid foedus in ſpecie.

Nunc ad vltimum foederum genus deuenimus, quod longe ab omnibus aliis, de quibus iam ſermo fuit, differt, et foedera in ſpecie ſic dicta continet. Tale foedus iam recentiori aetate ſeorſum definitum eſt, nempe vt ſocietas inter liberaſ gentes, quae ad praeflationes futuras, vtriuſque utilitatis ergo, inita eſt. Talia ſunt foedera offenſiua, defenſiua, et commercii, quae foedera ipromiſſiua ſpeciatim ſub nomine, *Alliance* a Gallis diſtinguuntur. Hoc enim nomine inſignuntur paſſim in iſtis eiſmodi conventionibus ſ), ac ſocietates, aſſociationes, vniones, confoederationes vocantur. Hinc omnes alias conuentiones publicae non foedera, ſed tractatus, Inſtrumenta etc. (vti iam in §. 3. monitum eſt) audiunt et tantum e regula has conuentiones ſociales, proprie foedus, Europae Gentes appellant: vt melius diſtingui poſſit, inter actus in praefens abſolutos et inter actus in futurum prominentes. Quum ergo tale foedus nihil aliud ſit, quam particularis ſocietas inter pacificentes ad ſcopum communem obtinendum, omnia quae in tali ſocietate occurrunt ex fine contrahentium et ex notione ſocietatis in genere decidenda ſunt.

§. XLIX.

ſ) SCHMAYSS p. 907. art. 2. 3. ad annum 1667. "Haec amicitia vt foedus ac ſocietas non infringetur." IDEM p. 1812. ad annum 1719. art. 19. "quo magis — perfeuerantia in hac ſocietate appareat." IDEM pag. 1156. art. 12. et p. 1614. art. 7. "Ad huius ſocietatis ſocietatem admittentur — Reges." etc.

§. XLIX.

Quoad obiectum foederis, 1) aequalitas semper obseruatur.

Obiectum hic foederis est mutua paciscentium salus, vniuersi scopus ex quo validitas pacti ponderanda est eiusque duratio petenda. Haec salus semper mutua sit necesse est, nam omnia haec foedera ytrimque semper aequalia censentur. Nec vlla in iis, (quatenus sine imminutione imperii fiant) inaequalitas quaerenda est. Nam quamuis primo intuitu inaequalitas apparens sit, et videatur aliquid, vel ob vnius tantum utilitatem promissum esse ab altero, vti si quis auxilia promittat nec repromissis accesserit, vel alterutrius utilitati magis prospectum esse, vbi quis maiora auxilia promittit, haec reuera inaequalitatem non denotant. Nam ad id quod cuiusque intersit talia promitti, vnice videndum est. Hinc non obstante GROTIO) quandoque auxilia promittuntur nec repromittuntur, quia genti minus valenti expedit, se arctiori nexu cum potentiore coniungi vt tutior contra tertium maneat, vel auxilia promittit contra tertium alteri bellum mignantem, quia magis auxiliatrici conducit, vt confoederatus potentiam suam qua non abutitur, contra agresseores saluam conseruet, vel ob alia innumera commoda quae occurrere possunt. E contrario si potentior maiora auxilia promittat, non exinde in tali foedere inaequalitas oritur, quia semper respectu potentiae cuiusque proportio quaedam obseruatur *u*) vti ex quadruplici foedere de anno 1718 patet. Hinc inter Gentes aequalitatem ex valore obiecti de quo conuenitur, (vti iam superius dictum) determinare maxime erroneum est principium; sed haec vnice ab utilitate contrahentium ac virium proportione eruenda est. Inaequalia foedera quae cum imminutione iurium maiestatis fiunt, cum transeant in pactum subiectionis, et ex salute publica gentis victricis, in quantum victa huic subiacet diiudicanda sint, huic non pertinent. De liberarum Gentium conuentionibus enim tantummodo nobis sermo est.

§. L.

1) GROTIUS lib. 2. C. 15. §. 7.

2) SCHMAYSS p. 1731. art. VII. "Sua Maiestas Caes. Regio-Cath. 8000 peditum et 4000 equitum; sua Mai. Britan. 8000 — et 4000 — sua Mai. Christianissima 8000 — et 4000 —, Et Domini status Generales 4000 peditum et 2000 equitum inuaso, facta requisitione auxilia submittent."

Quoad subiectum, haec semper rebus sic stantibus concluduntur.

Cum itaque in talibus foederibus promissiuis aequalitas ex mutua utilitate semper perpendatur, eorum duratio quoque ab aequali mutua utilitate pendet. Hinc etiam omnia haec conuenta rebus sic stantibus concluduntur. Haec est omnium eiusdem generis foederum clausula generalis, siue sit adiecta siue non. Noui, voluntatem ac consensum posse ius quaesitum in alterum transferre, sed et mecum sentiet quisque quod ultra posse nemo obligetur. Hanc enim impossibilitatem moralem, vicissitudines rerum, quarum series a nullo mortalium regi potest, saepius procreant. Hominis, sicut et Gentis voluntas, ut iam dixi, est tantum sequela iudicii, quia etiam si sagacissimum sit, tamen omnia futura contingentia praevidere nequit: Vnde sequitur ut, si quaedam gens perpetuo seu indefinite, seu etiam ad certum tempus, sese foedere aliquo sociali obstringit, id semper ea mente agat, quoniam haud verosimile sibi videtur, statum rerum adeo a circumstantiis mutari posse, ut ea quae nunc ob salutem reipublicae contraxit, in eius detrimentum vertantur. Ergo quisque non aliter quam ob utilitatem ex hac societate resultantem se devincit. Quamobrem quoties aequalitas ita debilitatur, et pondus utilitatis ab una parte ita bilancem deprimit, ut alterius detrimentum nimium eleuet, seu, quoties dici potest, si talia adversantia, quae successu temporis supervenerunt, in momento contractus praevidere quis potuisset, ipsum tale foedus nunquam in futurum fuisse, toties ipsi nonobstante foedere ac salva bona fide, his euenientibus, ab eo recedere valet: quamvis tum aequum sit alterum confoederatum, re adhuc integra, rationes reuocationis indicare, ne ille, talis renocationis infensus, vana spe fretus, ex ignorantia damnum patiat. Praeter hanc aequam limitationem quamvis alias accidere possit, ut haec clausula (quam rationem status vocant Gentes), aliquando nimis temere adhibeatur, tamen in genere negari nequit, regulam hic valere: Salus publica suprema lex esto; et hinc quaevis Gens in omni foedere promissiuo consensu mutuo promittit, hos vel illos actus, in futurum praestare aut iniuicem facere velle, quamdiu isti non propriae salutis fuerint contrarii, seu rebus sic, uti tempore foederis icti occurebant, stantibus.

§. LI.

Id non modo ius civile admittit.

Quod extra facultatem atque conceptum humanae sit naturae, voluntatem suam circa futura ex utilitate reciproca determinantem, perpetuo obstringi, iam ab omni aeuo agnouerunt optimi Iureconsulti, summi Philosophi, praestantissimi Politici, et Gentium iustissimarum acta id comprobant. 1) ICTi romani ex natura rei et subiecti concludentes, sic ratiocinati sunt. Nam generaliter constituit PAVLVS x). Nullam societatis in aeternum coitionem esse; etsi conuentum sit *uo intra certum tempus abeat*, et ante tempus renuncietur, potest rationem habere renunciatio, teste VLPIANO y). Sic Imperatores DIOCLETIANVS et MAXIMINIANVS statuerunt: nemo compelli potest in communiōe ac societate inuitus detineri z) addiditque VLPIANVS: non tenebitur pro socio, qui ideo renunciavit quia conditio quaedam qua societas inita erat ei non praestatur, seu si ita iniuriosus aut damnosus sit socius, vt non expediat eum pati, et in genere auctore POMONIO a) vel quod ea frui non liceat cuius gratia negociatio suscepta sit. Ex quibus clare patet, ICTos romanos vnice ad scopum talis societatis attendisse, et non tam ex verbis pacti, quam ex rationibus cur tale pactum fuerit inutum, obligationem voluntatis cuiusque diindicasse; modo is qui renunciat, tempore reuocationis cum damno consocii non locupletior fiat b).

§. LII.

Sed summi Philosophi antiqui et recentiores,

Eodem modo, Philosophorum antiquorum et recentiorum summi, in exploranda obligationum natura versatissimi, semper argumentati sunt, nec opinionum vis eos mouit recedere ab illa sententia. Inter antiquos praecipue audiamus CICERONEM. In opere de officiis c), tantam quidem conuentis vim tribuit vt fidem, *iustitiae fundamentum, difforum conuentorumque constantiam et veritatem* appellet, nihilominus tamen fateri co-

E 2

gi-

x) lex 70. ff. lib. 17. tit. 2. pro socio.

y) lex 17. ff. b. t.

z) l. 5. Cod. lib. 2. tit. 37. de com. div.

a) l. 15. ff. pro socio.

b) l. 65. §. 3. et 5. ff. h. t.

c) lib. 1. C. 7. et 10.

gitur, intuitu conuentorum de futuris praestationibus, „nec promissa esse, seruanda; quae iis, quibus promiseris inutilia, nec si tibi plus noceant, quam illi profint cui promiseris” rationemque a natura rei desumptam etiam addit idem TULLIUS, „ea (nunc utilia) cum tempore commutantur, *mutatur et officium*, et non semper est idem, ac contra officium est maius non anteponi minori.” Et SENECA inquit *d*). Tunc fidem fallam, tunc inconstantiae crimen audiam, si cum omnia eadem sint, quae erant promittente me, non praesitero promissum; alioquin quidquid mutatur, *libertatem facit de integro consulendi et me fide liberat*, Demens est, qui fidem praestat errori.” Quamuis plurimi inter recentiores, ob nimiam procul dubio religionem, qua venerantur bonam fidem, illimitatam statuerunt regulam, quod promissum acceptatum, accipienti ius quaesitum ex voluntate promittentis semper tribuat; sunt tamen qui hanc regulam secundum quid, vt dicitur, subintelligendam esse, salua bona fide censuerunt. Inter hos eminent illustris Geneuensis ciuis *e*) qui affirmat, „absurdum esse contendere, quod voluntas talia vincula sibi iniiciat, quae in futura tempora vim adstringendi habeant, et quidem hanc ob causam, quia non dependet a voluntate consentire in aliquam rem volentis salutem repugnantem.” Quod non modo de quouis homine, licet ingenii acumine fummo sit praeditus, sed et de omni Gente merito dici potest.

§. LIII.

Et praestantissimi Politici agnoscunt.

Sic ad virium humanarum terminos, ad limitatum iudicium, futuras res adnectendi, earumque seriem praeuidendi et ex his, utilitatis causas decernendi, ambitum attenderunt Icti et Philosophi, vt exactius dictorum conuentorumque vim ac obligationem diiudicare, iustitiam cum salute coniungere fideique verum significatum ac extensionem decidere possint. Multo magis in sphaera Iuris Gentium, Politici iustique viri, huc spectauerunt. Quosdam tantum ex his afferam. Iam sic interpretari debemus Conringium Iuris Gentium hodierni restauratorem seuere in Machiauellum admaduerten-

d) De beneficiis lib. IV. cap. 35. et 36.

e) *Contrat social* l. 2. C. I. p. 32. „Il est absurde de dire que la volonté se donne des chaînes, pour l'avenir, parce qu'il ne depend d'aucune volonté de consentir à rien de contraire au bien de l'être qui veut.”

tentem et bonae fidei pacitiae maximum admiratorem f): „prudentem, inquit, quemque non teneri suo summo cum damno fidem integram praestare, si quod praeter expectationem ex stricta contractus observatione grande incommodum acciderit — licere tunc summae cuique potestati — rescindere contractus — adeo iustis Principibus *promissam fidem non servare* interdum non inconueniens esse manifestissimum est.” Quin et summus non modo mea, sed omni laude superior ANTIMACHIAVELLVS g), qui horrendam hanc in medio aevo furentem Machiauellicam Principum doctrinam optime refutauit, tamen ipse quoque agnoscit: suboriri interdum casus, vbi necessario a foedere recedere quemque oporteat, sed tunc requiritur vt haec recessio honeste fiat, vt foederatis cito annuncietur et in genere nunquam tale quid fiat, nisi pro salute gentis ac virgente maxima necessitate. In omni ergo foedere sociali absoluuntur perfidia, omnes qui tempore conuentionis bona fide egerunt, posteaque ex salute publica a foedere discedunt, quia sequenti tempore praeter omnem expectationem saepe res sic mutantur, vt sine gentis detrimento paciscentes promissa adimplere nequeant.

§. LIV.

Immo et consensus Gentium comprobatur.

Iisdem rationibus quoque iure vsi sunt omnes foederati principes, quoties mutato rerum statu, talia inopinata ac praescitu impossibilia superuenerunt. Sic iure foederibus commercii cum Venetis, post detectam ad Indos per Africam viam renunciatum est. Sic sub Christierno IV Danus, solus viribus Austriacis impar, non obstante foedere cum Gallis aliisque inito, 1629 pacem cum Imperatore FERDINANDO II iniit. Pari modo ELISABETHA Belgis auxilia ex foedere promissa petentibus respondit h), „se auxilia ex foedere celebrato in causa respiciente statum suum non teneri, si in praedudicium aut detrimentum subditorum vergat: omnis enim

E 3

con-

- f) *Adinaduersiones in Mach. Princ. Cap. 18.* ad verba: debet ea promissa vitare.
 g) *Antimachiavel. Chap. 18.* „J'avoue d'ailleurs qu'il ya des necessités facheuses où un Prince ne sauroit s'empêcher de rompre ses traités et ses alliances; mais il faut s'en separer en honnête homme, en avertissant ses alliés à tems et surtout n'en venir jamais à ses extremités, sans que le salut de ses peuples et une grande necessité l'y obligent.”
 h) *Cambdenus in Historia Elisabethae P. 2. p. 284. et P. 4. p. 692.*

conuentio intelligitur facta sub clausula, *rebus sic stantibus*, quia fortius quis obligatur reipublicae quam *promissioni propriae*. Eadem ratione HENRICVS IV d) Galliae Rex iustissimus, urgente rerum statu, non obstante foedere eum Belgis, vt nemo pacem solus inire debeat, solus eum Hispanis pacem Veruini inuit. Similiter FRIDERICVS GVILIELMVS, Elector Brand. k) praeualente Gallorum vi, non obstantibus auxiliis, Belgis ex foedere debitis, in Castris ad Vossemum separatam 1673 cum Gallorum Rege neutralitatem icit. Simili occasione l) tunc temporis LVDOVICVS XIV, Colonienſi et Monasterienſi Episcopis id aegre ferentibus respondit. Se non aliter commode in praesens agere potuisse. Sic m) etiam Status Belgii Generales, intuitu Galliae 1648. cum Hispanis separatim egerunt. Hoc iure quoque sese excusarunt, Veneti n) ac Domus Sabaudica, mox Caesari, mox Regi Galliae foedere, pro vt ipsis suppetebat rerum suarum securitas, coniuncti, cuiusque fortunae cesserunt. Adest ergo in hoc iure consensus Gentium, quem optimi rerum publicarum scriptores agnouerunt o), et quem nemo, nisi omnia me fallunt, coarguet.

§. LV.

Quid sit foedus reale.

His nunc vt opinor satis perspicue distinctis ac separatis, facilius nunc describi poterit, quid per foedus reale, quid per personale sit intelligendum. Foedus reale est omne id, in quo fides pactitia ex natura rei sancte obseruanda in perpetuum promittitur, seu omne foedus quod pro natura obiecti et subiecti in perpetuum iniri potest. Hinc realia sunt omnia 1) foedera de rebus praeteritis ac praesentibus coita, 2) omnia quae ob equipollens iam acceptatum sunt promissa, 3) promissa de iuribus et honoribus concessis integre seruandis; 4) promissa eorum quae iam iure naturae debentur et quae *ius suum tuandi* respiciunt; tandem 5) promissa quae ob omnium utilitatem ex nexu sociali obseruanda veniunt. Circa omnia haec, quo-

d) HUGO GROTIUS Hist. libr. VII, ad annum 1593. pag. 319. "Rex, inquit, simpliciter
„egit, necessitates suas excusans."

k) PUFFENDORF de rebus gestis Wilhelmi lib. XI. §. 94. et 96.

l) IDEM EODEM T. I. §. 94. fol. 831.

m) BASNAGES annales des Provinces unies ad dictum annum n. 21, 22.

n) Scriptores rerum Venetarum Tomo 3, lib. V, pag. 391.

o) BYNKERSHOECK in Opusculis iunctim editis. p. 255. "Non omnes, inquit, reiecerim
„exceptiones tacitas. Sunt enim quas omnium gentium consensus probauit."

quoties conuentio initur, essentialibus pacti cuiusque requisitis alias non deficientibus reale dici debet foedus; atque vt haec in perpetuum durent secundum naturam negotii et paciscentium, iuris est, laesionemque ac perfidiam in casu contrauentionis inuoluit.

§. LVI.

Quid foedus personale.

Sed e contrario, quod si de foedere in strictiori sensu, promissiuo nempe, ad finem vtrique vtilem obtinendum agitur, tunc temporale seu personale appellari debet, quod scilicet personam contrahentis adstringit, quamdiu non odiosum euadit: huiusque rei decisio, an foederis continuatio salutis publicae utilis an noxia sit, cuiusque foederatorum iudicio relinquenda est. Hinc cessante ratione salutis propter quam sancitum fuit foedus, a tali recedere aequum est, nec exinde vnquam valide laesio deduci potest. Tectam aliquando iam ab initio in tali foedere latere posse perfidiam internam, non diffiteor, si quis v.g. conditionem in foedere offensiuo, non separatam cum hoste communi pacem ineundi, iam eo animo proponat vt foederatus promisso stet et ipse ex eo occasionem postea meliores separatae pacis conditiones sibi parandi sumat. Sed quando iura sunt paria, cuiusque foro conscientiae, religionique id relinquendum est. Manner tamen in abstracto regula quod nullum ex natura rei et paciscentium voluntatis, in aeternum promissiuum foedus coire quis queat. Sic conciliandi sunt auctores, in omni casu fidem pactitiam defendentes p), qui ad excusanda multa in contrarium Principum facta, ad multas exceptiones in determinatas necessitatis, opportunitatis temporis, rerum improuisarum et ad alia eiusdem farinae refugium capere coacti sunt. Hinc in exploranda foederum socialium obligatione, semper ad salutem ciuitatis, talis conuentionis scopum, et ad coniecturam voluntatis ob salutem patriae semper contentientis recurrendum est. His nunc, vt i arbitror, rite distinctis, haud difficile erit vim obligationum quae ad successores spectant determinare.

p) ZIEGENHAGEN Diss. de obligatione foederum Lipsiae 1763. §. 27 — 35.

 SECTIO II.

DE

 VI OBLIGATIONVM SVCCessorIS EX FOEDERE
 ANTECESSORIS.

CAP. I.

De obligatione successoris circa foedera realia.

§. I.

Communis de omni foedere opinio.

Quod si de hac materia colligere velis sententias Doctorum Iuris Gen-
 tium, videbis, fere omnes, praesente GRO TIO, vno ore quasi affir-
 mare: "pacta publica omnia non solum a conficientibus sed etiam a suc-
 cessoribus sunt in sempiternum seruanda." Non obstant tamen tot tan-
 torumque virorum auctoritate minime assertum istud pro axiomate habere
 possum; sed potius argumenta varia, eaque grauissima me cogunt hanc a
 GRO TIO stabilitam, ab affectis eius deinde in vniuersum receptam sen-
 tentiam, non quidem ex nouitatis aut disensus, sed ex veritatis studio, imp-
 ugnare, eamque recte limitando in quo casu valeat, in quo non, ideam
 eius plenius illustrare. Ex defensionis modo, quo vtuntur, si exempla e
 factis historicis directe contraria sententiae isti iis opponas, iam cuius pa-
 tebit, eorum sententiam pro axiomate vniuersali haberi non posse, sed me-
 ram esse hypothesin. Si verbi gratia, Principum facta afferas, huic do-
 ctrinae minime respondentia, sed plane opposita, quae sic eidem omne
 surripiunt robur axiomatis; tunc factum tale, sub titulo exceptionis a re-
 gula sua defendere, aut si haec defensio minus ardeat, cum Gentes omnes
 qui foedera socialia sola ineuntis fide stare, natura duce, contendunt, eas-
 dem perfidiae cuiusdam accusare solent. Argumenta vero pro stabilienda
 hy-

hypothesi, illorum sententiam, in vniuersum valere *q*) sequentia sunt: 1) Voluntas circa promissionem alteri factam, semel determinata ius quae situm acceptanti in consentientem, vsquedum conuenta adimpleantur, transfert; 2) Gens, ergo respublica quaeuis, (qua corpus morale quod nunquam moritur), in quantum tempus sese obligauit, semper ad ea praestanda tenetur, 3) quoties cum rege contractum est, in dubio cum populo contractum esse, censendum, quia imperium quod per regem exercetur, non definit esse imperium populi; sed hic GROTIUS, et per consequens eius imitatores, ad subleuandas plerasque difficultates quae ipsi in negotiis Principum occurrerunt 4) distinguit: si cum rege contractum est, tum modo perpetuum seu reale nuncupandum erit foedus, *si in bonum regni factum, aut in perpetuum, aut pro se et successoribus sit adiectum*; et hoc non expresso, perpetuam foederis validitatem ex fauorabilibus seu odiosis obligationibus eruendam esse, atque ex his principiis, de obligatione successoris sententiam ferri debere censet. Hinc, cum reale pactum, volente GROTRIO, nihil aliud sit quam quod cum libero populo initur, Respublicae in dubio ad omnia foedera teneri debent.

§. II.

Nullum hic inter reges ac liberae ciuitates discrimen faciendum est.

Sed iam supra ostendimus quid per pactum reale ac personale intelligamus, et quare ex natura obiecti et facultate contrahentium sese in perpetuum obligandi, haec realitas vnice in foederibus praeterita, praesentia, nec non futura perpetuo vtilia concernentibus ponenda sit, etiam cur foedus promissuum personale tantum sit denominandum, quia hoc iudicio personae, penes quam est summa potestas relinquendum est, an eius perditio saluti reipublicae conducatur aut repugnet? Hinc si etiam cum populo libero nunquam moriente actum sit, dantur conuenta in futurum promittentia scilicet: foedera promissua, quae semper cum hac limitatione rebus sic stantibus concluduntur, et personalia dici debent. Nam salua bona fide, longe aliter ratiocinandum est de consensu in futurum dato, circa vicissim praestanda, vbi semper a quouis sit factus, secundum quid interpretatio fieri debet,

q) GROTIUS l. 2. C. 16. §. 16. PUFFENDORF l. 8. C. 9. §. 8. WOLFF l. N. et G. §. 424. Cocceius ad GROTIUM Com. ad §. cit. GOEEL diff. de pactis et foederibus.

debet. Non equidem video cur Respublicae deterioris conditionis esse debeant et cur illae, quocumque modo rerum status mutetur, obligationibus ob utilitatem quondam susceptis et per euentum odiosis factis, nihilominus tamen stare teneantur. Quia fortassis in bonum reipublicae actum esse expressum fuit; etsi id quoque adiectum sit, nihil aliud ex eo desumi potest, quam ea, tempore factae conventionis in bonum ciuitatis agnita fuisse. Hinc vix me continere possum, quin ill. RVSSOVIR) sententiae accedam, qui GROTIUM, Rerumpublicarum ex personali odio inimicum fuisse, regibusque nimium fauuisse accusat; cum GROTIUS omnia Rerumpublicarum pacta realia dicat, omniaque realia perpetuo icta praestituat. Sed in determinanda conventionum validitate, ad quemvis vel quoscumque transferantur imperii habentiae, nulla est differentia; ac si quae facienda sit, certe Rerumpublicarum acta non minori pretio haberi debent, sed a tempore susceptae obligationis vnice petenda est.

§. III.

1) Quoad pacta de praeteritis ac praesentibus successor tenetur.

Nam 1) si pacta de praeteritis ac praesentibus contrahantur, siue ab ipsomet Populo, siue a Gentis quodam moderatore, tum iura vtrimque pleno iure perpetuo transferuntur, ac si perpetuo acquirantur, perpetuo valent, atque his conuentis successor stare tenetur. Hic enim Gens omni facultate, omnia rite discernendi pollet, voluntatemque deliberato animo perpendere optime valet, ita vt ad inopinata nemo vnquam refugium capere iure possit. Etsi quoque in durioribus quibusdam consentiat, vt aliquando ad id necessitas cogit, ab his tamen nunquam recedere licet; hanc ob causam quia, teste PVFFENDORFIO 1), „in casu pacis, antegressae iniuriae plane extinguuntur et omnia quae per hanc praeserta aut promissa fuere ad maius malum evitandum facta esse censentur.” Hic ergo dici potest, facta infecta fieri non posse, nec successor haec infirmandi ius habere quia tantum his quae tempore mortis antecessoris adfuerunt succedit, iustisque populi praetensionibus coniungitur, sed ipsi nullum ius super rite alienatis remanet.

§. IV.

- 1) *Contrat social* l. I. c. 2. p. 35. „GROTIUS réfugié en France mécontent de sa patrie et voulant faire sa Cour à Louis XIII, à qui son livre est dédié, n'épargne rien pour dépouiller les peuples de tous leurs droits et pour en revêtir les Rois avec tout l'art possible.”
- 1) PVFFENDORF l. c. §. 8.

§. IV.

2) *Promissa odiosa ob pacem facta.*

Huc etiam pertinent 2) Promissa quae odiosa continent, si ad pacem obtinendam, adimplenda sunt. Nulla enim odiosa, ut iam monui, foedera appellari possunt, quam ea quae cum imminutione imperii sunt; quod in nullo foedere promissivo evenit, sed tunc quando victis dicuntur leges. Nam argumentum quod AMELOTVS ad excusandum FRANCISCVM I. 1) ex Livio desumit u) "an credi possit, vllum populum in ea conditione cuius eum poeniteat, diutius quam necesse sit mansurum"? potius ad hominem quam ad ius pertinet. Iure autem haec quoque obseruari debent, nam hic, ne totum imperium pereat, quibusdam maiestatis iuribus renunciatum esse censetur, et in concessis omnia ex salute publica Gentis victricis diiudicanda sunt. Huiusmodi sunt, v. g. conventio inter Galliae regem et Lotharingiae Ducem 1661 x); sicut et promissa Ianensium LVDOVICO XIV. facta, se in posterum mari non amplius quam 6 triremibus vsuros. Immo et soluendorum annuatim tributorum obligatio. Talia enim saepius in pactum subiectionis transeunt, et populus, qui haec odiosa ex necessitate semel in se suscepit, quoque ex consensu, ac redempta pace fidem tueri debet: alias nullum bellum quis redimere, nec vlla pax secure componi posset. Ex eodem quoque fundamento successor, obligationibus ab antecessore ad reliqua seruanda susceptis, parere quoque tenetur: Quia Rectoribus ciuitatum, illimitato imperio gaudentibus, plena quoad viuunt licentia a populo data est, quaelibet, quae ipsis ad salutem publicam seruandam necessaria videntur, nomine populi patrandi, quamdiu dilucide non appareat eos manifestissime constitutionibus imperii refragari y). Hinc successor a Gente victrice non plura iura quam ea, quae sibi gens victa seu antecessor odioso foedere obstrictus referuauit, exigere, amissa vero nullo modo, nisi consentiente acquirente, iure recuperare potest, quamuis maiestatica fuerint. Sic etiam iudicandum est de omnibus iuribus vi pacis traditis, deque omnibus obligationibus quae per pacem susceptae fuerunt.

F 2

§. V.

1) *Observations sur les traités* p. 62.

u) LIVIUS lib. 8. cap. 21.

x) SCHMAVSS cit. p. 733.

y) SCHMAVSS p. 2291. ad an. 1641. Manifeste des Etats de Portugal concernant les droits de leurs Rois.

§. V.

3) *Promissa, ob rem ea lege praestitam, et iura iam agnita.*

3) Eiusdem indolis sunt promissa ob rem iam ea sub conditione acquisitam, ea enim, ob ius vel obiectum aliquod antecessori concessum, vt ipse vicissim aliud quid praestet, ius quaesitum petenti perpetuo recipiunt, donec adimpleantur. Hinc, si forte antecessor ante promissi complementum decesserit, successor ni reponat aequipollens, obtenta, ea sub conditione reddat necesse est, in quibus altera gens alias ius in rebus sic alienatis semper conseruat atque praestita tum qua indebite data repetere potest, aut si non de aequipollente, sed de residuo fermo sit, creditor ius perfectum id repetendi habet, illique successorem ad id vi compellere, in casu denegationis iure licet. Idem valet de iuribus vel honoribus iure pacto agnitis, quae etiam a successore agnoscenda atque semper agnoscuntur, ob easdem causas quibus in genere Populus ad id adstringitur z).

§. VI.

4) *Promissa de iam a natura seu nexu sociali debitis.*

Multo magis 4) idem sentiendum de promissis eorum quae iam a iure naturae absoluto vel sociali, inter gentes nexu coniunctas, ob utilitatem omnium communem debentur: Quia haec debita, non vi consensu tantum, sed vi iuris quod salua laesione, naturae rei iam inest, iam adimplenda sunt et voluntatis in hoc casu determinatio vt iam diximus potius qua declaratio quod naturae conuenienter viuere Gentes velint considerari debet, quam qua obligatio cui citra consensum respondere nemo alias perfecte obstrictus esset. Hac de causa omnes in genere conventiones in quibus generalia iustitiae, benevolentiae et aequitatis promissa spondentur, successorem sicut et populum quemuis ita vt statutum est semper obligant, et non modo si adiectum sit vt in perpetuum valere debeant, sed etiam quamuis indefinite id relatum sit, quia omnia haec iam per se plenam roboris vim a natura habent, quamuis non hac de re pactum in initum fuisset; et per consequens successorem quoque obligant.

§. VII.

z) vid. *Secl. praec.* §. 37. 38.

§. VII.

In his omnibus manet regula: pacta sunt seruanda.

Natura haec axiomata ita omnium animis in fixit, vt nemo nunc forte negauerit quod, quatenus voluntas Populi sese optime ac deliberato animo determinare valeat, eatenus ipse populus ac omnis regiminis successor talia pacta semel inita incorrupte facta tectaque adimplere tenetur. Hinc in pactis in praesens absolutis; in his, vbi ad auertenda maiora mala, gens libertati suae naturali renunciat ac alteri omnia iura regiminis confert seu quaedam alteri ob tutelam spondeat (vti Tartari); porro in rebus sub conditione reciproca acquisitis, tandem in his quae ad tuendam omnium salutem ex perpetua vtilitate seu ad nexum vinculi socialis corroborandum promittuntur; in omnibus iis cuius Populo in perpetuum sese obligare licet et haec quemuis lucescens, salua noua laesione, deuinciunt. Fusus ista demonstrare superuacaneum foret, quia omnes fere omni tempore naturae humanae persecutores talia non diffitentur.

CAP. II.

De obligatione successoris circa foedera speciatim sic dicta.

§. VIII.

Saluis constitutionibus, nemo successorem circa negotia cum exteris patrandae obligare potest.

Praecedenti sectione iam demonstrare studuimus, quod foedera promissua, ob vtriusque modo contrahentium interesse contracta, semper sub hac clausula generali ineanantur, *rebus sic stantibus*, quia in tantum realia ac duratura dici possunt, in quantum circumstantiae, sub quibus Gentes praestanda quaedam vicissim promiserunt, eadem remanent; Quod vtrique Genti hac de causa semper relinquatur libertas diiudicandi, quamdiu ea sine reipublicae incommodo seruare ipsi expediat, conducat, eiusque interfit, ideoque quod ab eis, salua bona fide pactiua, eueniente tali mutatione saluti reipublicae contraria, recedere ea quoque possit. Hinc multo magis successoris talis licentia danda erit. Nam, quamuis voluntas populi tantum per eos qui clauum imperii tenent, manifestetur; quamuis omnibus iis

quae vi potestatis datae, ob salutem publicam summi Imperantes peragunt, consentire censeatur, atque omnia, quae isti ob ciuium vtilitatem alteri genti praestare promittunt, ciues obseruare teneantur; tamen haec summa potestas nusquam vltra vitam cuiusque imperantis extenditur. Porro quaelibet Gens successori eandem potentiam omnia, quae ipsemet regno salutaria existimat, patrandi credit, eandemque iudicandi licentiam, quid saluti reipublicae conveniat, permittit. Hinc nulla obligatio, ea quae ab antecessore consentanea visa sunt facienda, adimplere ipsum successorem cohercet, nisi id quoque reipublicae expedire ipse arbitretur; Hinc exceptis iis quae constitutionibus regni praefinita sunt, omnia successoris arbitrio ponuntur ac omnia foedera promissiva sola ineuntis fide stant.

§. IX.

Nec vllus Imperans id a successore postulat.

Nec Imperantes ipsi in eiusmodi conuentis talia a successoribus postulant; optime enim norunt obedientiam populi, in iis quae ipsis placent, cum morte iubentis cessare, neque successorem ad ea quae cum exteris in futurum patrandi statuerunt adigere se posse. Tamen, cum quorundam foederum articuli, si obiter perlegantur, contrarii specie multos fefellerint, necessarium mihi videtur talia foedera paulo accuratius explorare, atque hoc naturale principium testimoniis Gentium comprobare. Exemplis itaque Gentium, (omisso tamen medio aevo), primum demonstrabo, foedera promissiva hanc ob rem indefinite et sub clausula monitoria in casu revocationis coiri solere; quod si verba *in perpetuum* addita sunt, id fieri ex obseruantia formulari vel potius haec ad ea quae ex nexu sociali communiter debentur pertinere; porro ostendam morem esse Rerumpublicarum, talia ad certum modo tempus ferire, et quamuis cum Regibus perpetuo inean- tur, tamen nihilominus, mutato rege ea sine renouatione infirmari; denique refutatis Doctorum argumentis in contrarium, veritatem asserti, quod foederum promissiuorum renouatio et necessaria et iusta sit, ex usu Gentium recepto comprobare annitar.

§. X.

Si medium aeuum, vti decet, excipias,

Consideres modo foedera gentium ob vtriusque vtilitatem inita, euolvas scripta nationum de foederibus commercii, defensionis ac auxilii, in ar-

archiuis asseruata, et clare patebit, ex ipsa talium conventionum propria indole successori omnino liberam esse facultatem haec continuandi aut ab iis recedendi. Sed nemo forsitan me reprehensione dignum putet, si medii aevi mores hic respiciam. In hoc enim vbi, vel omnia vnus nutu gerebantur, et ob plenitudinem potestatis, sancta omnia cuiusque generis fuerint, habenda erant; vel vbi Principes, quidquid ipsis in mentem subiit, omnia se pro arbitrio, generali lege perpetuo valitura sancire posse existimabant, ibi saniora iuris naturalis et Gentium principia ex eorum conuentis secure non sunt eruenda. Optime noui quid hac de re adhuc anno 1527. HENRICVS VIII Angliae Rex senserit, qui, vt ex foedere cum Gallia a) patet, hanc materiam iam tunc temporis ventilatam fuisse, inquit "ad reuouendam omnem ambiguitatum materiam, quae de auctoritate contrahentium oriatur, cum Princeps in successorem non habeat ius aut potestatem, neque susceptae regiae dignitati solus suis pactis praecudicium afferre possit" huic difficultati subuenire arbitratus est, stipulando "quod vterque pro sua parte curet vt magnates et nobiles regnorum suorum domini spirituales et temporales nec non ciuitates praecipuae firmissime sese et successores suos perpetuis temporibus futuris ad implendam hanc confoederationem obligent." Docuit tamen euentus quam temere talia sanciantur, nam non obstante hac cautela, haec sanctio sicut et eiusdem Henrici nouae religionis dogmata breui post sunt irrita facta. Sed restauratis litteris, atque in dies, quasi ex caligine qua mensae in medio aeuo iacebant, magis atque magis emergentibus, populi saniora de facultatibus humani generis principia nacti sunt, atque, quoad futura, rectius ratiocinati sunt. Iam 1541 in foedere inter Franciscum I. Galliae et Christiannum III. Daniae, Reges b) id agnouerunt, stipulantes: "Quoniam inter mortales nihil perpetuo durare potest, videaturque improbum esse plus postulare a Deo quam quod hominum mortalitati debeatur, satis abundeque vtriusque Regis oratoribus sufficere visum est, si eam societatem quam cupiunt inter eos esse perpetuam, ad vitam vtriusque Principum — sanctissimo foedere — constabillire possint."

§. XI.

a) LEONARD *Recueil des Traités* T. 2. p. 291. art. cum.b) LEONARD eod. pag. 421. art. *Quoniam* foederis ad fontem Blaudi. 19. Nov. conditum.

§. XI.

1) *Foedera promissiva ordinario indefinite incuntur.*

Quo factum est vt postea Principes in foederibus ineundis naturae conuenientius agere coeperint. Nam 1) talia foedera promissiva communiter indefincte inierunt, atque facultatem reuocationis, eueniente necessitate iam tacite in ipsis foederum articulis recognouerunt. Sic Carolus III Angliae Rex cum Carolo IX Sueciae Rege 1661 perpetuum foederis et amicitiae tractatum ferit, ac in articulo 14to stipulatio inita est c). “Si contingerit *durante hoc foedere* quemquam e populo aliquid contra hoc foedus moliri, — fiat satisfactio.” Eadem clausula vsae sunt confoederatae Belgii ciuitates et Rex Portugalliae 1642 d) sicut et alii complures in multis foederibus socialibus vsque ad nostra tempora indefinite contraxerunt. Nonne hic clare patet, Gentes tacite hanc a foedere recedendi libertatem admississe? alias enim clausula *durante hoc foedere* plane inutilis fuisset. Quid enim aliud significaret conditio illa adiecta vt alibi legitur “quod particulares soli, “quotquot hoc foedus violauerint, poenas, *quomdiu durauerit hoc foedus dent*”; si hoc in perpetuum ictum cenferi debeat?

§. XII.

In his clausula monitoria in casu recessionis stipulatur.

Ex eodem fundamento liberae reuocationis a foedere, clausula *monitoria* subditis confoederati facienda, recedenti iniungi solet. Nam cessante utilitate nexus mutua, ne improuisa reuocatio alterutrius paciscentium subditis nimium importunitatis atque detrimenti ex foederis fiducia suboriantur, confoederati certum tempus determinare solent, intra quod, post reuocationem foederis, nihil contra hoc moliri liceat; vt cuique liberum sit, suos subditos alibi aut in reuocantis territorio commorantes admonere, foedus esse ruptum. Sic Hispani e) cum Danis 1641 articulo 20. 6 menses in casu reuocationis stipulati sunt, antequam alterutri alterius subditos, *qua extraneos* nullo

c) SCHMAVSS C. I. G. A. p. 759.

d) IDEM p. 529. art. 19.

e) SCHMAVSS cit. p. 521. “S’il arrive quelque mesintelligence qui puisse donner occasion à la rupture — les negocians auront 6 mois, à compter du jour qu’on leur aura fait savoir, pour se retirer — avant qu’il soit permis durant ce tems là de les traiter comme étrangers.”

nullo foedere iunctos considerare liceat: sic Reges Angliae et Portugalliae duos annos, interruptione subueniente, praefiniuerunt *f*). Idem fecerunt Galliae Rex et confoederatae Belgii ciuitates *g*), nouem menses in casu recessionis a foedere statuentes, et praeterea diuersimode legitimum excusationis et ignorantiae tempus, respectu vtriusque subditorum in alto nauigantium, pro diuersitate loci praescribentes *h*). Eodem modo egerunt Hispani cum iisdem ciuitatibus, vbi anni et diei laxamentum vtriusque subditi, foedere rupto, pacti sunt *i*). Ex his iam sponte patet conclusio, Gentēs Europae, non modo facultatem renunciationis agnoscere et talia foedera pro praesenti rerum statu inire solere, sed et per hoc Imperantes successoris arbitrium, an istius duratio regno conueniat nec ne, nunquam praecidere voluisse.

§. XIII.

Si vero in perpetuum sit istum id fieri a) vel ex obseruantia formulari.

Sed ne obicere quis forsan posset, in istis allegatis foederibus non cautum fuisse, vt etiam inter compaciscentium posteros ac heredes valitura sint, atque ex hoc capite recedendi a foedere facultas licita sit, quia, teste GROTTIO, eadem libertas, foedere in perpetuum icto, iure Gentium non concedatur; duo hic monenda sunt. Primo saepenumero in formulis conventionum certa quaedam verba vsu recepta occurrunt, seu in introitu seu in fine, quae non semper ex mente foederatorum, sed tantum ex obseruantia, vt formularia quasi a conficiantibus inferuntur. Quemadmodum in capitulationibus Caesareis, in quibus Imperator omnes eius articulos et iura constitutionibus imperii, nec non Aurea Bulla confirmata, tueri promittere tenetur, certissime non ad dictae Bullae *h*) caput 30mum, de institutione Electoralium heredum, in linguis et praesertim in sclauiica, attenditur, quia in hac non amplius, vt Carolus IV. sentiebat, ardua Imperii negotia ventilantur: Ita quoque proemia conuentionum quandoque formulas ab antiquioribus pacis, vbi quadrant, aliorumque eiusdem naturae tractati-

- f*) IDEM p. 529. art. 18. ad an. 1642.
g) IDEM p. 1414. art. 41. an. 1713.
h) IDEM EODEM p. 1440. art. 26.
i) IDEM p. 1478. art. 26. ad annum 1714.
k) SCHMAYSS C. L. R. p. 46.

G

etatibus defunctas continent, et ab ingenio conficiuntur ea, quae proprie ad scopum conuentionis non pertinent, qua indifferentia adiciuntur; vel si pacis et foederis tractatus simul ineatur, ad contenta pacis uice sunt referenda. Hinc quamuis in principio aliquando Gentes promittant, se amicitiam, certis pactis amplius et firmiter per foedus stabilire uelle, quo praecisus et quasi iam antea definitis quae oriri possent, controuersis, amborum utilitati, bonoque reciproco certius consulere possint *l)*; tamen in articulis ipsis defectum sagacitatis humanae circa futura agnoscere coguntur ac fateri, "quod omnia mundana impraeiuris vicissitudinibus sint obnoxia" *m)*.

§. XIV.

b) vel potius de iis quae iam ex utilitate communi, vi nexus socialis debentur, sermo est.

Concedamus licet, tales perpetuae amicitiae certiorationes serio factae esse, et postea Gentes hanc, quamuis per errorem introductam obseruantiam abolere noluisse et ex mente confoederatorum, heredes ac successores iis obstringi. Attamen recentiori aevo probe distinxerunt paciscentes, et solummodo ea, quae iam iure naturae absoluto vel sociali iam debentur, denotauerunt, ita ut minime ex his colligi possit, haec ad specialia conuenta quoque applicari debere. Id me non ex ingenio, sed ex ipsis foederum fontibus, in quibus talia promittuntur haussisse, docent, quae sequuntur. Iam anno 1651. naturalem hanc distinctionem faciendam esse senserunt Carolus Emanuel Sabaudiae et 6 Heluetae Cantones. Nam quamuis se, uti initio fertur *n)* perpetuo foedere iunxerant, tamen circa finem expressis uerbis, quoad specialia foederis conuenta additur: "Debet ista confoederatio, durare per totam uitam Regiae Celsitudinis — et praeterea adhuc quatuor annis post eius mortem" *o)*. Aliquot anni quandoque addi solent, ut successori tempus superfit bene perpendendi an foederis continuatio conducatur. Constantem quoque amicitiam, *in perpetuum foedus et bonam correspondentiam* sibi, anno 1719, inuicem promittunt Reges Angliae et Sueciae in articulo.

l) SCHMAVSS C. I. G. A. p. 2000. ad annum 1725.

m) IDEM art. 44. p. 2011.

n) SCHMAVSS cit. p. 637. "Inter nos utrinque et nostros successores praesentes ac futuros firma amicitia, confoederatio, tutela, defensio atque consimilis obligatoria societas — esse queat et inuicibiliter seruetur.

o) IDEM EODEM p. 644. in fine.

culo p). Sed quoad specialia foederis contenta, quoque circa finem stabiluerunt" q). Durabit hoc foedus defensuum in 18 annos, quibus elapsis, Confoederati Reges de huius continuatione denuo tractare poterunt, si „*utrique ita visum fuerit.*" Tandem, ne in lectoris taedium plures afferam probationes, hoc vnico adhuc ostendam exemplo, Gentibus eandem esse sententiam de foedere promissiuo qualem ego haecenus proposui; nempe exemplo foederis defensui inter Imperatricem Russiae et Regem Angliae 1743 initi. In isto foedere summi pacifcentes ipsi, verbis suis, veritatem sententiae meae demonstrant, Gentes solummodo ea quae ex nexu sociali generaliter debentur, perpetuo obseruanda promittere. Articulo Imo r) scilicet spondent ambo „perpetuam amicitiam, firmam ac sinceram vnionem „et constans foedus, ita vt alter alterius commoda promouere, damna ad „vertere semper studeat, nec non vt ambo consilia in commune bonum „tendentia inter se conferant"; In articulo autem 2imo euentissime ab his promissis specialia huius foederis conuenta distinguunt s). Quamuis pax, amicitia, ac reciproca concordia, semper inter summos contrahentes coalescere debeat; tamen vsu inualuit, *specialibus his foederibus* tempus durationis quoddam praefinire, hinc hoc a momento subscriptionis per quindecim annos durare debebit etc." Ex his euidenter iam patet, Gentes probe distinguere, inter generalia amicitiae mutuae officia quae in perpetuum spondent, et inter speciales foederis promissiuo obligationes quas in se suscipiunt.

§. XV.

3) *Republicae hac de causa certum durationis tempus introduxerunt.*

Quod ad vsum, de tempore durationis adiecto, attinet, quem nunc inualuisse supradicti summi Contrahentes asserunt, ille vsus, si foederum col-

G 2

lectio-

p) SCHMAVSS cit. p. 1802.

q) IDEM EOD. p. 1812. art. 20.

r) Europäischer Staats-Secret. part. 84. p. 1080. „Es soll auf immer zwischen — und Dero beiderseitigen Erben und Nachkommen eine aufrichtige, getreue, standhafte und ewige Freundschaft, Allianz und Vereinigung seyn."

s) IDEM EOD. p. 1091. „Der Friede, die Freundschaft und das gute Einverständnis sollen zwar allsets unter denen Hoben Contrahenten fortauern; weil aber die Gewöhnheit mit sich bringet, denen förmlichen Allianz-Tracktaten eine Zeit wie lange sie dauern sollen, zu setzen; so haben Sich — dahin verglichen, daß der gegenwärtige, 15 Jahr — währen soll" etc.

lectiones inspicias, potissimum a Rebuspublicis ortum duxisse constat. Respublicae enim ne, vi opinionis quam Grotius in suo de Iure Gentium sistemate statuere conatus est *r*), ipsis ex cuiuscunque generis foedere, perpetua iniungatur obligatio, sedulo et imprimis Confoederatae Belgii ciuitates, in foederibus promissiuus certum tempus, intra quod fidem obstringunt, praefinire rati sunt, quia fenserunt se ex tali foedere perpetuam obligationem suscipere non posse. Sic Belgi 1640 cum Regina Sueciae Christina primo in 15 annos *u*), postea in 40 annos *x*) foedus commercii iniuerunt. Quibus fere elapsis 1679 cum Carolo XI. in 24 annos *y*) restaurauerunt et sic porro. Sic Veneti cum Cantonibus Tiguri et Bernae, in 12 annos *z*) foedus contraxerunt quos elapsos denuo, si vtrique placuerit, renouandos stabiliuerunt. Pari ratione, si indefinite talia coeant foedera, accurate sibi prospicere curant, ne in perpetuum sese obligasse ipsis obiiere aliquis possit. Sic foederatum Belgium cum Anglia, foedere Bredae 1667 iclo, diserte hoc foedus *a*) *pro praesenti* commerciorum *statu* sancitum nominauerunt.

§. XVI.

4) *Etiam perpetuo icla infirmari morte contrahentis a Rebuspublicis contenditur.*

Quamuis etiam ipsae Respublicae in perpetuum sese, ex incuria saeculi et conficientium, in tali foedere deninxissent, semper tamen obligatio et fides pacta foederis ad paciscentis personam eas adstringere contendunt, iureque omnem societatem licet perpetuo cum rege quodam initam, semper Rege mutato, extinctam esse affirmauerunt. Sic fenserunt inter alias Heluetii, ante diuulgatam Grotii inter Gentes sententiam et antequam sub Ludouico XIV. tempus renouationis foederis expresse sit additum *b*). Nam quamuis perpetuo foedere, cum praecedentibus Galliae Regibus Carolo VII, Ludouico XI, Carolo VIII, Ludouico XII et Francisco I fuissent iuncti

2) GROTIUS lib. 2. C. 16. §. 16. "Si quidem cum populo libero actum sit, dubium non est, quid quod promittitur sua natura reale sit, quia subiectum est res permanent."

3) SCHMAYSS cit. p. 515. art. 16.

4) IDEM p. 549.

5) IDEM p. 1041. art. 37.

6) IDEM p. 1191. art. 22. ad annum 1706.

7) IDEM p. 911.

8) SCHMAYSS cit. pag. 789. art. 1. vbi 8 anni post mortem Regis vt renouetur determinati sunt.

juncti Heluetii c), tamen Henrico III. mortuo, se hac non amplius irretitos esse, teste THVANO d) professi sunt: "Causantes Duces, (cum Sanctius Regis legatus eos, ut in castris manerent, per foederis religionem obtestatus esset), se nulla a ciuitatibus suis mandata habere, et ea quae haberent regis morte expirasse, hinc ad eas (ciuitates) ante omnia referendum esse censebant." Has obiectiones refutare non ausus est Henricus IV, sed noua negotiatione ea de re habita, hoc perpetuum sic dictum foedus cum Heluetiis renouauit e). Nam ex indole talis conuentionis promissiuae, quae semper in dubio personalis dici debet; ex natura obiectorum futura concernentium, quae quamuis tempore conuentionis maxime fuerint utilia, per reuolutiones rerum, alterutrius foederatorum saluti ita aduersantia fieri possunt, ut non amplius expediat haec praestare; ac ex ingenio subiecti perpetuam utilitatem in futurum praedicere incapax, ipse Rex intellexit talia foedera, non nisi rebus sic stantibus concludi posse, atque absque renouatione merito infirmari. Iam vero abunde, ex ipso Gentium Europae totius assensu, probatum esse puto assertum: In omni foedere promissiuo, in quo futurae praestations in utriusque utilitatem promittuntur, in genere et non obstantibus adiectis perpetuae durationis verbis, durationis fundamentum ponit, ac terminos praescribit sola utilitas, quae exinde redundat, et huius aestimatio successoris arbitrio relinquitur. Attamen restant adhuc quaedam sequenti capite dicenda de iis quae a variis in contrarium allata sunt.

CAP. III.

Opiniones Doctorem in contrarium recensentur ac resutantur.

§. XVII.

Argumenta quae Grotius et assaeclae in contrarium afferunt.

Tanta inest in natura talium conuentionum vis ac perspicuitas, ut omnes Gentes vnanimiter eam perspiciant, atque ab illis, quouis modo sint confectae, mutato statu recedere, seu saltem rebus sic manentibus eas renouare cum nouo regni possessore necessarium ducant. Hinc mirum sane

G 3

vide-

c) IDEM p. 168.

d) THVANI hist. l. 97. C. 3. ad annum 1589. p. 793. ex edit. Buckley Lond. fol. 1733.

e) IDEM THVANVS C. 18. p. 816. refert. "Tribunos Heluetiorum aduenisse cupientes ut foedera cum Regibus Franciae inita cum ipso renouarentur."

videbitur, plurimos Doctores hic dissentire. Videamus ergo dubia eorum et argumenta quibus, contrariam mori Gentium, suam probare studeant. Qui dissentiunt omnes Grotium ducem sequuntur, hunc itaque aggredi oportet, refutando; Id vero ut rite fiat; primo argumenta ipsa consideremus, quibus sententia ipsius nititur, secundo exempla ab usu Gentium petita quae ad eam corroborandam affert. Ex Grotii sententia f), 1) *foedera quaevis* a populo libero ista manere debent, sicut et ea quae a rege contracta, si in perpetuum seu ad certum tempus definita, aut si in genere fauorabilia sint, semper realia ac irreuocabilia vocat; et ne dubium supersit, de iis quae fauorabilia appellat Grotius, ea exemplis illustrat atque contendit foedera pacis causa facta, tuendi se causa, commerciorum etc. proprius ad fauorem accedere, et foedera offensua magis ad onera. 2) Quod dici solet societates morte finiri, solummodo iuris ciuilibus thesin esse asserit. 3) De obligatione heredis ratione promissorum sic argumentatur. In actibus regis princeps et successor vna est persona, vterque repraesentat populum, qui heri et hodie vnus, Rex autem promittit pro populo cuius pars est successor; 4) Negat promissa g) tacitam habere conditionem, si res maneat quo sunt loco, Ciceronemque qui promissa acceptanti inutilia seu promittenti magis nociua quam alteri vtilia, non seruanda asseruit, nimis laxo locutum esse coarguit, et ad priorem casum, an res utilis futura sit ei cui promissa est, recte quidem respondet promissorem iudicare non debere, secundum vero casum, an res plus promittenti noceat, quam acceptanti proficit, plane silentio praeteriit.

§. XVIII

Exemplum Grotii in vim probationis.

Tandem exemplo historico opinionem suam illustrare studet. Licet vero tam insignis fuerit Grotio historiae antiquae peritia, ut dicas eum, in ista scientia haud imparem fuisse iis qui illis ipsis temporibus vixerunt, tamen e tanta ab omni aeuo rerum gestarum copia, nullum, ad sententiam suam adstruendam, aliud exemplum deducere potuit, quam illud Persei, de quo tamen haesitans inquit. Tale fuisse *videtur* foedus Romanorum cum „Philippo Macedonum Rege, quod cum Perseus eius filius ad se pertinere

ne-

f) GROTIUS l. 2. C. 16. §. 16. n. 1, 2, 3, 4, 5.

g) IDEM EODEM §. 25. no. 2. et §. 27. no. 2.

negaret, bellum eo nomine exortum est.^{h)} Quod ad cetera exempla suae opinionioni contraria de quibus mentionem fecit, qualia sunt, Fidenatum, Latinorum, Etruscorum, Sabinorum, aliorumque qui a foedere, mortuis contrahentibus cum quibus tale inierunt recesserunt; iure an iniuria id factum fuerit, diiudicare se non posse ait, cum non extent foederum verba: Idem sentit de illa apud Iustinum *h)* controuersia, an ciuitates Medorum tributariae, mutato Imperio conditionem mutassent, nempe an iure a Cyro defecissent. Haec sunt potissimum momenta quibus sectatores eius seducti, tantam *in omni foedere* obligandi vim tribuerunt. Sed discrimen faciendum esse inter foedera pro natura obiecti et subiecti iam supra monuimus et iam nihil amplius superest quam vt breuiter adhuc Grotii argumenta percurramus et contrarium ex Gentium omnium experientia ostendamus.

§. XIX.

Ad 1) Quod quaeuis foedera in dubio realia dici debeant.

Licet etiam haud attendas ad Russouii praesumptionem, quod, Grotio systema suum conficienti alta mente iudicium Hollandiae repositum manserit, si modo negliges differentiam inter promissa de futuris generaliter iam debitis, et vtilibus, et inter ea quae tantum ob statum praesentem compaciscentibus vtilia fore praesumuntur, tum, ex singulari erga bonam fidem pietate, sane facillimum erit falso credere, omnia foedera in dubio realia esse; Idque eo magis, si tibi talia animo versanti, modo exempla foederum de praeteritis, de praesentibus ac de futuris rebus iam generaliter obligatoriis repraesentent. Sic Grotium rem considerasse subsumo. Sed, quoad 1), simulac quoque inconstantiam rerum futurarum, impotentiam naturae humanae, ventura quaeuis praevidendi, eiusque naturae perpetuam ad quaeuis vtilia propensionem consideres, videbis distinctionem inter foedera necessario faciendam esse: Nam subtilis haec, atque lubrica de fauorabilibus ac odiosis contentis differentia, qua Grotius Regibus tantum succurrit; non releuat; quoniam etiamsi pacis causa factae conuentiones, cuiusque generis sint, ad fauorabilia referri debeant quia semper dici potest, fauorabile esse, e duobus malis minimum eligere, tamen foedera tuendi se causa seu commercii hic applicari nequeunt, vti censet Grotius; cessare potest metus belli et fauor cuiusdam commercii; hinc mecum senties, non quae-

h) Lib. I. Cap. 7. no. 2.

quaeuis foedera indubio pro realibus haberi posse, siue cum populo siue cum rege sit contractum; tandemque salua conscientia ac bona fide pacifica, mutato rerum statu, et exinde emergente incommodo, quibusdam de futuris obiectis foederibus renunciare licitum esse.

§. XX.

Ad 2) Quod ciuili tantum iuris sit, societates morte finiri.

2), Ex sequentibus eius argumentis patet, quare omnia quae semel defensae opinioni contraria reiecerit; Ex iam praecoccupata associatione idearum breuiter asseruit. "Societates morte finiri, ciuili iuris esse" sed, quamuis plerisque iuris Romani principiis ad Gentes applicatis non assentiar, atque his, ob diuersitatem status ciuili ac Gentium assentiri nequeam; tamen fateor non semper id, quod in Digestis iuris esse contenditur, ex statu ciuili originem ducere. Per multa a ICSultis Romanis ex ipsa et quidem genuina natura hausta sunt; ad quem fontem saepius etiam, ubicumque ratio ciuitatis non obstabat, accesserunt. Hinc si forte aliquid, iuris pure ciuili esse, vel ob statum ciuilem, naturae additum seu ab ea detractum esse aliquis contendat, solidis argumentis, rationes reddere debet, cur legislatores hic naturam non secuti sint. Sed has non reddidit Grotius, nec reddere potuit, quia (vti iam supra *i*) ostendimus,) non modo mortuo sed etiam viuente adhuc pacifcente in societatibus ob vtriusque vtilitatem initis, cessante scopo vnionis, his ex natura talis conuentionis renunciare licet.

§. XXI.

Ad 3) Quod promissa heredem obligent.

Speciosius tamen videtur 3), id quod de successore argumentatur idem Grotius, et quod celeberrimus eius Commentator Barbeyracius *h*) etiam ad iuramenta principum, ad successores quoque transeuntia extendit. Sed huius ratiocinii inualiditas, comparatione aequivalentis conclusionis circa exemplum ex iure ciuili desumptum, primo intuitu patebit. In actibus tutoriis tutor et eius successor vna eademque quasi est persona, vterque repraesentat pupillum, qui heri et hodie vnus, quamdiu nempe
sub

i) *Sectiois I. C. VI. §. 51.*

h) *Notae ad GROTIUM ad §. cit. n. 65. pag. 451. Ex edit. Amstel. 1720. 8vo.*

sub tutela est; Tutor enim promittit pro pupillo cuius pars est successor; hinc omnia quae ab antecessore nomine pupilli promissa sunt, tutorem successorum obligant. Hic enim est par relatio inter Tutorem ac civitatis rectorem, qualis est inter pupillum et subditum populum. Sed quem admodum Tutor cauere debet *1)* rem pupilli saluam fore, omniaque sua negotia quae nomine pupilli gerit, ad eius vtilitatem accommodare; sic successor nulla promissa ab antecessore nomine pupilli facta, adimplere tenetur, nisi prius perpenderit an reuera etiam ea in vtilitatem pupilli cadant. Simili ratione Principi quantumvis monarchico, omnia ad salutem publicam peragendi obligatio incumbit; id quod ex natura omnis constitutionis liquet. In omni enim regimine salus reipublicae suprema lex esto. Itaque quamuis Rex successor aequae repraesentet populum ac antecessor, qui facta quae perpetuo licet vtilia existimauerat promissit; successor, qui non solum vt populi pars sed caput considerandus, semper libertas iudicandi relinquitur, an ea quae ab antecessore promissa fuerunt, siue iuramento confirmata fuerint, siue non, reuera saluti publicae adhuc inferuiant vel repugnent. Hinc regula, vt in omnibus vitae negotiis, ita et hic valet: respice finem.

§. XXII.

Ad 4) Quod tacita conditio, rebus sic stantibus, sit reuocanda.

Ex eadem 4) associatione idearum quas semel animo concepit, negat Grotius, conditionem tacitam, si res maneant quo sunt loco. Huic lubenter, respectu foederum quae realia nominaui, assentior; sed minime id ad omnia applicare possum. Firmiter quoque persuasum habeo, si ad diuersitatem negotiorum publicorum, pro cuiusque natura accuratius attendisset, si in foederibus de futuris obiectis, ea quae ob vtriusque vtilitatem tantum specialem feriuntur, ab iis quae a natura aut ex vi nexus socialis generalis iure Gentium admittuntur atque admitti debent, rite seiunxisset, sane non adeo pertinaciter sese huic tacitae conditioni naturali opposuisset. Iam enim conscientiam testem habebat, quod dentur casus in quibus hac clausula vt liceat; sed cum hanc in foederum partitione secundum sua principia nusquam commode applicare posset, ad quasdam exceptiones speciales et indeterminatas interpretationes confugit, et allegatis quibusdam casibus furoris, morbi fontici, mortis eius ad quem legati missi fuerant, aliisque, praecipit hoc sensu accipienda, et non vltra trahenda esse quae apud

S E.

1) Digestorum lit. 6. lib. 46.

SENECAM leguntur^m). "Omnia debent esse eadem quae fuerint cum pro-
mitterem, ut promittentis fidem teneas." Hac quoque de causa eius imi-
tatores qua indubitatum axioma, omnia promissa esse seruanda adoptantes,
omnes iuris tricas ac apices adhibuerunt, ut exceptiones inueniant, quibus
multa inter Gentes in contrarium acta quodam modo excusare possent.

§. XXIII.

Exemplum ex Liiuo desuntum non id illustrat.

Non maioris ponderis est exemplum quod illustrationis et corrobo-
rationis ergo ex historia veterum assert. Romanorum aequitate procul du-
bio nixus, quia isti tunc temporis inter omnes Gentes, iustitia maxime
praeclari fuerunt, hac de causa bellum ortum fuisse dixit, quod Perseus
facta Patris ad se non pertinere contenderit, Liiuique testimonio in vim
probationis vsus est. Sed quamuis etiam hoc verum sit, Romanos ob re-
uocatum foedus cum patre ictum Perseum armis persecutos fuisse, non ex
eo tamen concludere liceret, iure romanos hunc successorem filium, vi ad
hanc societatem continuandam adigere propterea potuisse. Attamen saluo
hoc de Romanorum fide iudicio, Liiuum ipsum, ex quo exemplum desum-
fit, si euoluamus, illud potius pro me et omnino contra illum militat.
Nam teste Liiuoⁿ). Romani non hanc ob rem Perseo bellum indixerunt,
"sed quia id ipse in noua possessione regni renouasset" atque subterfugium
quo vsus est Perseus, "id renouari, non quia probaret, sed quia in noua
possessione regni patienda omnia essent, se passum", iure admittere no-
luerunt. Erat praeterea hoc foedus inaequale, scilicet cum imminutione
imperii coitum, in quo diserte Macedones extra fines imperii arma efferre,
fociosque populi Romani bello lacescere prohibebantur; ita ut iam alias a
tali foedere, tam vi pacis, qua leges victis dictae fuerant, quam vi reno-
uationis a successore factae, huic ab eo recedendi facultas denegata esset.

§. XXIV.

Contrarium potius ab omni aeno inter Gentes obtinuit.

Praeterea, (cum iuris naturae principia, vnanimi assensu Gentium
munire conueniat), nusquam idem Grotius, inter populos, sententiae suae
congruentem agendi normam detexit. Contraria vero ipsius opinioni ex-
empla ab omni aetate passim occurrunt. Sic Fidenates post mortem Ro-
muli,

^m) De beneficiis I. 4. c. 35. et 39.

ⁿ) LIIUIVS lib. 42. C. 25. "suae orationis summam fuisse foedus cum Philippo ictum, sed cum
ipso eo post mortem patris renouatum."

muli, a foedere cum eo contracto se immunes; Latini, post mortem Tulli, Hetrusci defuncto Prisco, Sabini extincto Servio, foederis nexibus se solutos profitebantur. Dionysius Halicarnassensis fufe res Latinorum cum Tarquinio actas refert, et quae Turnus Herdonius huic Regi, quoad foedus cum antecessore ictum, obiecit o). Quibus Tarquinus, cum respondere iure non posset, insigni perfidia, quae mortem illustri Latinorum defensori parauit, defensionem vitauit p). Simile exemplum obiectionis sub Imperatore Valentiniano de Perfarum Rege recenset Ammianus q). Idem Carolo V. Imperatore Romanorum, ab Eduardo VI. Angliae Rege responsum fuit, ob foedus Imperatoris cum Henrico VIII. ictum, vt si prouinciae infestarentur, Rex Angliae 5000 peditum in 4 menses suppeditaret r). Sic quoque nouissimis temporibus, ne nimis allegationibus terminos dissertationis excedam, Russia, Imperante Elisabetha, offensuum foedus cum Imperatore Romano contra Borussiae Regem, ea tamen defuncta, Petrus III. plane oppositum foedus cum Borussiae Rege coiit, et hoc extincto, Imperatrix Catharina, vtrique antea confoederatorum renunciens neutralitatem praetulit, nec quisquam eam praeterea iniustitia redarguit, quia a natura eiusmodi foederum, haec sola ineuntis fide stant, atque talia promissa antecessoris, ad successorem inuicem non pertinent.

§. XXV.

Tales societates morte extinguuntur iam a summis politicis animaduersum.

Quod tales societates morte extinguantur, id non primum a me con- tenditur, sed idem cernis asseuerari confirmarique, a summis politicis consentientibus. Et quidem inter Gallos, speciosissima iuris principia, simulac haec ipsi conueniunt, arripere paratos, testem inter omnes eminentem MAZARINVM producant. Id patet ex foedere Ludouici XIII. cum sociis Belgarum ciuitatibus instituto, quod, illustri huic Ministro, morte pacifcentis desuisse videbatur s). Addit quidem Matrolarum ad sequanam Marchio

H 2

I A-

- o) *Antiquitates Rom.* T. I. lib. IV. C. 46. Londini 1704. fol. T. 2. "Foedera quae cum ipsis, quo facta fuerant, tradito illi imperio, post eius mortem dissoluta dicebantur."
 p) *IDEM EODEM C.* 47. 48.
 q) *AMMIANI MARCELLINI Rerum gestarum C.* 26. ad ann. 364. p. 452. ex Edit. Vallesii fol. Par. 1631.
 r) *RICH. SOVCHAEVS in iure feciali qu.* 29. part. 2. sect. 3. p. 215. Lugd. Bat. 1651. 12.
 s) *IOH. LABARDAEI Historia de rebus Gallicis lib.* 2. ad an. 1644. lib. X. ab anno 1643 ad annum 1652. 4to Par. 1671. "Quae res sollicitum habuerat Mazarinum iure dubitantem, vtrum haec sociae ciuitates sibi cum Lud. XIV. filio etiam tum intercedere sentirent, cuius actas haud eandem in republica gerenda virtutem quam quae in patre fuerat ostendebat sed, omnia

LABARDEVS, Galliae ad Heluetios extra ordinem legatus, Grotii affecta et amicus: „sed istic admaduertendum videtur, eo nos (Gallos) in foederibus sancendis offendisse, quod cautum non fuerat, haec inter regis „posteros ac socias ciuitates valitura, quod quidem in omnibus consimilibus foederibus nunquam omitti debet” sed iam supra retulimus, quomodo haec additamenta sint interpretanda. Adest et alter in iure Gentium veratissimus Autor, qui proxime sententiae meae accedit, RICHARDVS SOV. CHAEVS; qui non modo talia foedera morte alterutrius paciscentium exspirare contendit) sed et, quamuis alias Grotium, pro Coryphaeo in sphaera iuris Gentium habendum esse putet, fatetur quod, pacis et amicitiae foedera perpetua haberi debeant, mutui tamen auxilii et commerciorum conuentiones magis temporales existimantur. Ipse inquit, „Cum qui ad amicitiam „sociali foedere inter se coniungendam coeunt — eius obiectum est magis „generale ac continuum, quam alterius publicae conuentionis, utpote vel societatis vel aliquid quod a societate pendet, vt commercium vel auxilium u).

§. XXVI.

Ex eodem principio semper renouationem requiri, ex usu Gentium probatur.

Haec non solum ab optimis politicis agnita sunt, sed etiam, effulgente magis magisque sanioris rationis, puriorisque naturae iuris lumine haec ab omnibus Europae gentibus adoptata sunt; taliaque foedera semper renouatione, mutato rege, indigent, etiamsi id solummodo verbis generalibus fiat. Sic iam Iacobus, Rex Angliae, renouationem foederis cum Rege Galliae Henrico IV. concluso, a successore petiit ac obtinuit. Illustris Tractatum Saeculi XVII. Collector vel potius disertator x) explicat hac occasione, quid per verba generalia subintelligendum sit. Eiusdem indolis extant exempla in multis foederum collectionibus non modo de foederibus promissius in perpetuum aut indefinite initis, sed etiam de iis quae, licet ad certum tempus

„omnia contra, per huius pueritiam infirma ac incerta. Cum tamen summa vi bel'um a „nobis anno proximo geri vidissent, ac principem modo mutatum, fortunam vero eandem „esse; de foederibus, sicuti cum Ludouico XIII. vna interissent nihil dixerant.

z) *In iure sociali* pag. 215. cit. „Henrico defuncto, cum Rex Galliae Luxemburgum inuaderet, Imperator ab Eduardo ex eo foedere copias deposcit, quibus praestandis cum rex ex aliis nonnullis actionibus liber haberetur, satis visum est, quod foedus cum persona paciscentis extinguatnr.”

n) *IDEM* parte I. Sect. 4. no. 4. pag. 48.

x) *Traité du 17. Siècle* par Mr. de Torcy 2 T. fol. *Traité de Fontainebleau* le 23 Av. 1623 entre Louis XIII. et l'Angleterre. art. France. „Le Roi sollicité par les ministres de la „Grande Bret. de renouveler le Traité qu'il (Jaques) avoit fait avec Henry IV en 1606, „acquiesça à cette demande et déclara par un acte que son intention étoit d'exécuter le traité „dans tous ses points; de sorte qu'il fut regardé comme renouvelé, et que cet acte est la „force d'un nouveau traité qui avoit été passé entre les deux Rois.”

pus determinata fuerant, tamen a nouo successore ante terminum praefixum semper renouata sunt. Sic foedus (de quo iam mentionem fecimus) confoederatarum Belgii ciuitatum, licet fuerit ad 40 annos cum Christina Suaeiae conditum, duobus annis post Reginae abdicacionem anno 1656 renouatum fuit his verbis: "Quemadmodum foedus anni 1640 conclusum et confirmationem — factam atque extensas leges — *peruidimus*; ita omnes in utroque foederis instrumento comprehensas leges hisce *renouamus, redintegramus ac in pleno vigore suo firmamus*" y). Idem sub sequentibus successoribus factum est. Ex his, omissis aliis exemplis, euidenter constat, quod omnia speciatim sic dicta foedera, nisi ex merito cuiusque noui Regni Possessoris arbitrio redintegrentur, plane dissoluantur.

§. XXVII.

Et ex confessione politicorum certioratur.

Plurimi etiam rerum publicarum scriptores, hanc renouationem vt necessariam, vbiuis ab illis qui foederis perduracionem desiderant, semper, mortuo praedeessore, peti consentunt, idque iam longo vsu stricte obseruatum fuit. Iam Cambdenus z) fatetur renouationem suo tempore moribus introductam esse. Puffendorfius ipse, maximus Grotii admirator, quamvis aperte huic contradicere haesitet, per indirectum tamen insiciari nequit, "quod in consuetudinem abierit, vt foedera etiam indubie realia, (secundum Grotii definitionem) rege mutato renouentur, saltem verbis generalibus, ne forte excipi possit, foedus sola inuentis fide stetit" a). Hoc principium est etiam praecipua ratio cur, extincto alterutro rege, omne legationis estu assidue ius cessat, legatique omnes cuiuscumque generis sint, ad restaurandam earum missionem, nouis litteris credentialibus egeant. Hoc confirmat auctor de arte negotiandi b). Putat vero ille haec alias parui esse momenti, quia non obstante morte eius ad quem missus legatus, mittentis auctoritas permanet. Sed quis non videt eum ita communi opinione, de per-

H 3

pe-

y) SCHMAVSS cit. p. 648. item p. 895. art. 1.

z) *Annales rerum Anglic. et hybern.* regnante Elisabetha, 3 Tom. 1697. T. 2. p. 379. "Foederum renouatio apud Principes vsu receptissima quae foederibus ipsis quasi vitam in fundit atque mutua eorum beneuolentiam orbi terrarum constat."

a) PUFFENDORF l. 8. C. 9. §. 8. item *Rerum vrandenb. hist.* l. 9. C. 6. ad annum 1662.

b) PECCQVET *art de negocier* p. 116. 8vo Hage 1738. Deux cas suspendent l'activité du Ministre public, la mort du souverain auprès duquel il reside, et celle du Prince qu'il represente; *meine quand le Prince qui succede, est successer forcé et necessaire*; il faut que le Ministre ait de nouvelles lettres de creance pour rentrer dans toutes ses fonctions accreditées. — "Ce principe est dans la rigueur la plus grande. Car dans la pratique on ne regarderoit pas moins digne d'attention ce qu'un Ministre droit avant que de recevoir des nouvelles lettres de creance parce que l'autorité d'ou il émane son pouvoir subsiste."

petua omnium foederum validitate imbutum fuisse, vt non animaduertit, eam ob causam legatorum oblationem ac acceptationem de nouo necessariam esse; quia cuique successori societates ab antecessore factas continuandi seu recusandi plena libertas conceditur. Id etiam rite demonstratum est, in disceptatione quae orta est inter Russiam ac Galliam vbi in responsione ad Marchionem de Montijure dictum est c). “Officium Legati non est perpetuum, nam morte mittentis vel eius ad quem missus, cessat legati functio, nisi nouis litteris credentialibus ille sit munitus; consuetudo sana quae orbi terrarum vbiuis iam patet. Hinc, Marchionem se in iure legationis fundare non posse, manifestissimum est: quum eius character repraesentatiuus, mortuo Augusto II, iam ab anno extinctus sit, ac Respublica aliam plane ab hinc faciem acceperit.

§. XXVIII.

Conclusio.

Colligendo omnia quae hucusque plenius dissertatione nostra illustrare contendimus, sequens erit conclusio: Est in quouis foedere promissiuo, salua fide, locus poenitentiae, simul ac scopus ob quem sancitum est, vtilitas scilicet mutua cessat. Minime populo tribui potest facultas, omnia futura contingentia praeuidendi, et ex his iam anticipando praefiniendi perpetuam salutem; nam mortalibus ea est conditio vt et sapientissimi eorum, in perpetua illa omnium rerum mutatione, quae futura sint, certo scire et determinare omnino nequeant; quid enim crastina volueret aetas, scire nefas homini. Hanc ob causam promissa antecessoris tunc temporis in bonum atque emolumentum regni facta, mutare, iisque in totum renunciare, si non amplius profint, aut etiam si nunc eadem speranda sit vtilitas, promissa antecessoris seruandi ac continuandi libera manet facultas, quae nulla lege restringitur, atque quamuis aliquando inconsiderate additum sit, haec perpetuo valitura esse, quaecumque sit rerum mutatio d) talia pro non adiectis haberi debent. Foederum renouatio hinc introducta ac omnino necessaria est: Quin adeo si praesentis vtilitatis conditio successorem principem nunc aliter sentire iubet, non obstante clausula tali, aut ficto illo argumento, id naturae pactorum repugnare, *omni iure* recedere a foedere ab antecessore icto, quilibet princeps potest.

Sequitur ergo exinde, successorem nunquam ex foedere promissiuo seu speciatim sic dicto antecessoris obligari et nullo modo ab eo exigii posse vt huius pacto stet, nisi renouetur.

c) *Europäischer Staats- Secretär* §. 9. p. 339. no. 4.

d) *SCHEMAYSS* cit. p. 287. Renouèlement d'Alliance entre la France et la Suede de 1663. “Les sercnissimes Rois declarerent que quelque changement qui arrive dans les affaires, la meme union sera conseruée et queüe sera toujours et paruient indissoluble, sans recevoir aucune atteinte.”



ULB Halle

3


004 588 452



f
nur 1 Stück







18

Gent. 3. num. 7.
1778, 10 19

DE
VI FOEDERVM INTER GENTES,
SPECIATIM
DE
OBLIGATIONE SVCCessorIS
EX FOEDERE ANTECESSORIS
EX NATVRA REI ET VSV MORATORVM
POPVLORVM PETITA.

P. 167.

DISSERTATIO INAVGVRALIS

QVAM

SVB AVSPICIIIS REGIIS

AVCTORITATE

INCLYTI IVRE CONSVLTORVM ORDINIS

PRO

CAPESCENDIS SVMMIS IN IVRE HONORIBVS

PVBlice H. L. Q. C. DEFENDET.

PETRVS IOSEPHVS NEYRON

BEROLINENSIS

A D. XIX. IVN. ANNO c1o 1o LXXVIII.

GOTTINGAE,
Litteris IO. CHRISTIAN. DIETERICH
ACAD. TYPOGR.

